



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Enchiridion Piarvm Meditationvm In Omnes Dominicas, Sanctorvm Festa, Christi passionem, & cætera**

**Busaeus, Johannes**

**Mogvntiæ, M. DCVI.**

1. Meditationes in omnes totivs anni Dominicas

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-70978](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-70978)



MEDITATIONES  
IN OMNES TO-  
TIVS ANNI DO-  
MINICAS.

MEDITATIO

IN FESTO CIRCUMCI-  
sionis, Luca 2.

**C**IRCUMCISVS est puer. Considera  
primò summam Christi humi-  
litate, quod voluerit habe-  
ri peccator, cum non esset,  
(nam propter peccatum originale tollen-  
dum circumcisio instituta erat) nos autem  
cum simus peccatores, nolumus haberi  
obedientiam, quod legi, cui nō erat sub-  
iectus



## 2. MEDITATIONES IN

iectus, parere voluerit; erat enim Dominus omnium, & venerat, vt legem illam tolleretur. 3. caritatem quod tam cito caperit pro nostra salute profundere sanguinem. 4. exemplum, vt prauos affectus, & occasiones peccatorum, maximè autem huiusmodi uigilantium contra castitatem circumcidamus, licet sine labore & dolore id non fiat.

2. *Vocatum est nomen eius IESVS, quod uocatum est ab angelo, priusquam in utero conciperetur.* Perpende, qua de causa uocetur IESVS, id est, saluator, cum permittat se circumcidi, quasi egeat salute. nempe ob nimiam erga nos caritatem, uoluit, etiam cum suo incommodo, nobis prodesse, profusione sui sanguinis nos a dolore liberare & saluare: uoluit non otiosè hoc nomen, licet a Deo inuentum, & ab angelo annunciatum, usurpare, sed summo labore passionis mereri. Vnde & Apostolus

*Phil. 2. dicit. Propter quod & exaltauit illum Deus, & dedit illi nomen, quod est super omne nomen. Secundo, cogita quam uenerandum sit hoc nomen, quippe in quo flectuntur genua caelestium, terrestrium, & infernorum. Est enim nomen filii Dei, quatenus homo factus est. Deinde quam suaue & salutare sit. Omnis enim qui inuocauerit non en Do-*

*mini,*



DOM. TOTIVS ANNI. 3

mini, ait propheta, *saluus erit. Tertio*, considera te non esse de Societate IESV, nisi etiam studeas per labores & passiones fieri saluator aliorum.

*Redditus est matri suae Puer, qua illi compatiebatur de sanguinis visa effusione. Cogita primo* plorasse puerum IESVM in circumcissione, non tam propter dolorem, quam ob causam doloris, id est, tua peccata: ocellulosque suos coniecisse in matrem, ut ex luani eius aspectu aliquod caperet solatium. *Secundo*, perpende, quanto dolore maternum pectus, conspectis lacrymis & sanguine pueruli, fuerit obrutum, quot lacrymas ipsa fuderit, dixeritque potius corde, quam ore. O dulcis IESV, quid est hoc? Ante octo dies vidi te in praesepio plorantem & trementem, & hodie video te sanguinem pro mea salute profundentem. O quomodo crescit indies caritas tua.



1. **T**RES Magi Reges ad puerum Iesum adorandum venerunt; stella duce; ita attestantes. (*Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.*) Considera primò summam caritatem pueri Iesu, qui omnes homines vocat ad salutem è vicino quidem infimos pastores per nuncium angelum; è longinquo diuites & nobiles per indicium stellæ, illos ex Iudæis, hos ex gentibus, & quemq; per congrua media, vt Magos peritos astrologiæ per stellam. 2. obedientiam magorum qui ad tam paruum indicium credunt, & constanter etiam in vrbe Hierosolyma coram Herode audent quærere, vbi sit rex Iudæorum natus? Vide quanto gaudio iter peragant, quantas gratias Deo agant. Expende, an tu inspirationi diuinæ tam cito pareas.

2. *Proidentes adorauerunt eum, & apertis thesauris suis obtulerunt ei munera, aurum, thus, & myrrham.* Considera primò, Magos supplices in terra prostratos prius adorare Christum, & deinde offerre munera: prius offerre se ipsos corpus & animã pue-  
ro Ie.



DOMIN. TOTIVS ANNI. 5

ro Iesu. quod munus longe fuit gratissimū. Sic olim Deus primum respexit ab Abel, *Genes.* deinde ad munera eius. Et tu quoque prius offer Deo cor & voluntatem tuam, deinde verò operum bonorū fructus. 2. offerre aurum Christo, vt regi, thus vt Deo, myrrham vt homini mortali. Et tu tria offer Iesu, aurum caritatis, super omnia eum diligendo; thus deuotionis, omnia ad gloriā eius faciendo; & myrrham mortificationis, passiones & cupiditates frānando. Religiosus si sis, offer aurum, per votum paupertatis, omnem proprietatem refugiendo; thus per castitatem, corpus Deo consecrando; & myrrham per obedientiæ votum, voluntatem subiiciendo voluntati superioris. 3. considera, quanta consolatione puer Iesus reges data benedictione, porrectis ad osculum manibus & pedibus dimiserit. Quantoque gaudio B. Virgo & Ioseph exultarunt.

*Rosponso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam. Considera Magos quia tam liberales in Christum fuere, ( totos se cum thesauris suis offerendo, nihilq; de fide, obvilatē & paupertatem parentum, detrahendo, ) noua gratia per miraculū or-*  
A 3 nari,



6 MEDITATIONES IN

nari, ne redeant ad Herodem, id est, ne malorum consuetudine damnum capiant: vt discas quando tuleris te, tuaque obtuleris Deo, Deum vicissim te non derelicturum, nec passurum vt mundi societatem requiras in maligno positi, sed potius facturum, vt per aliam viam mundo contrariam, id est, paupertatis, contemptus tui, & mortificationis ac crucis tendas in regionem tuam, id est, paradysum caelestem, vnde omnes exulamus.

DOMINICA I. POST

EPIPHANIAM.

*De ascensu Christi in templum*

*anno duodecimo. Luc. 2.*

- I. **N**ATVS IESVS annos 12. à Nazareth profectus est Hierosolymam. Considera quanta deuotione B. Virgo cum Iesu & Ioseph quotannis iuerit Hierosolymam ad celebrandum Pascha, cum faminae ad id non tenerentur, minus puer Iesus. vt discas multa facere, ad quae non teneris, & libeter loca sancta precandi causa, licet remota, adire. *Secundo* cogita te videre puerum Iesum iuuetis manibus, & post eum B. Virg. & Iosephum ardenter & multis horis orantes. O vtina ex illo feruetiu precu igne vna scintillula  
INCI.



DOMIN. TOTIVS ANNI. 7

incideret in orationum nostrarum frigus.

*Remansit illic nescius parentibus* Confide-<sup>2.</sup>  
ra intimum dolorē B. Virg. quando domū  
reperens vesperi non inuenit suum Iesum,  
quē putabat esse cum Ioseph. quot gemi-  
tus ambo ediderint, quot lacrymas fude-  
rint, nescientes quo se verterent, quia erat  
nox, sed nec cibum nec somnum ea nocte  
sumpserint. *Secundo*, cogita, cū te volueris  
diuino cultui dedicare, vel inspirationi di-  
uinæ satisfacere, posse parentes, si reluctē-  
tur, eorumq; consilia dese ere. Tunc enim  
Deo magis obediendum, quam hominib<sup>9</sup>.  
Deinde Christum aliquando, etiam piis, *Act 3.*  
se, suasq; consolationes subtrahere, vt di-  
scas sollicitē eum, eiusq; gratiam custodi-  
re. *Tertio*, vide Christum in angulo aliquo  
templi illa nocte ardentem orantem, de die  
verò vel orantem, vel pia loquentem inter  
pueros, vel panem ostiatim emendicantē.

*Post triduum eum inuenerunt in templo, 3.*  
*sedentem inter Doctores: Et ipse illis causam*  
*mora percontantibus, respondit. (Nesciebatis,*  
*quia in his, qua Patris mei sunt, oportet me*  
*esse.)* Cogita quomodo B. Virgo, in reditu  
ab omnib. obuiis quærat de filio; eoq; cō-  
specto, quantū gaudiū obortū cum lacry-  
mis, quomodo, inuenit in oscula, nūc ipsa



8 MEDITATIONES IN

nunc Ioseph, quas querelas deposuerint. Quomodo vicissim eas solatus. Quantum Doctores illū laudarint coram ipsis. 2. disce Christum inueniri in templo, non inter cognatos & carnales homines. Disce & humilitatem, vt non pudeat alios audire, & interrogare quæ nescis.

DOMINICA II. POST EPL-  
PHANIAM.

*De nuptiis in Cana Galil. Ioan. 2.*

2. **I**nuitatus fuit Christus cum discipulis suis ad nuptias. Considera primò humilitatē Christi, qui non dedignatur ire ad nuptias inopum. defecerat enim iis. vinum. 2. mysterium, quia matrimonium est symbolum coniunctionis Christi cum Ecclesia, cuius tu es membrum; vt scias, sicut post nuptias sponsa non potest amplius diuelli à sponso, sic nec te à Christo, eoque magis, si per votum castitatis eum in sponsum elegeris.
3. scopum Christi; ideo enim adiit nuptias, vt fructum & temporalem & spirituailem iis afferet.
2. *Deficere vinum mater Christum monuit. ( Vinum non habent) Et ministris dixit. Quodcunq; dixerit vobis facite. Considera pri-*

*Ephe. 5.*

132



DOMIN. TOTIVS ANNI. 9

mò, sicut olim B. Virgo per suam humili-  
tatem dicendo, *Ecce ancilla Domini, fiat* <sup>Luc. 1.</sup>  
*mihî secundum verbum tuum*, causam de-  
dit summo miraculo Incarnationis, vt De-  
us fieret homo, sic nunc per caritatem cau-  
sam dedisse primo Christi miraculo; vt a-  
qua fieret vinum: 2. si sollicita fuit non so-  
lum de defectu vniuersali per aduentum  
Messiæ tollendo, sed & de particulari ha-  
rum nuptiarum; sollicitam quoque fore  
de tuis defectibus corporalibus & spirita-  
libus tollendis, si eam inuocaris. 3. quod  
ita sit sollicita de nobis, vt velit nos etiam  
cooperari. Nam dicit ministris. *Quodcum-  
que, &c.* cooperamur autem, si libenter  
faciamus quicquid Christus nobis inspi-  
rarit, si voluntatem nostram cum diuina  
in omnibus conformemus.

*Aquam in vinum Dominus conuertit (Et  
manifestauit gloriam suam, & crediderunt in  
eum discipuli eius.)* Considera hoc pri-  
mum miraculum Christi, typum esse vlti-  
mi miraculi facti ante passionem in insti-  
tutione S. Eucharistiæ, quando panem in  
corpus suum, vinumque in sanguinem cõ-  
uertit; vt discas huic potius sacro conui-  
uio, quam illi nuptiali profano sæpe inter-  
esse. 2. Considera te verum imitatore

A 5 Chri.



10 MEDITATIONES IN

Christi fore, sita inter homines verferis, ut aquam primo in vinum conuertas, id est, peccatores coneris facere iustos, bonos meliores: deinde omnia ad gloriam Dei, non tuam agas. Et, fraliorum sis magister, ac superior, discipulos & subditos, tua doctrina & sanctitate reddas in fide firmiores, & amore Dei feruentiores.

II. MEDITATIO.

1. **D**ICIT *Euangelista* ( *Et mater IESU erat tibi* ) *id est, nuptiis.* Considera illam ibi fuisse, antequam Christus aduenisset Cur verò præuenit? nisi ut operam suã illis offerret in parandis nuptiis, & ut incitaret ad Christum inuitandum? hoc est, ut caritatem perfectam corporalem & spiritualem erga eos declararet. *Secundo*, ubi B. Virgo est, vel colitur, ibi continuo adesse Christum cum suis sanctis: Non potest filius abesse à matre, nec magister à discipulis. Gaude ergo, si in sodalit. B. Virginis verferis, vel singulari deuotione eam colas; nam certus esse debes Christum tibi cum omnibus sanctis affuturum.

2. *Dicit eis IESVS ( implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsq; ad summum. )* Considera primo, licet miraculum ex sola Dei  
VIRTUTE



DOMIN. TOTIVS ANNI. 12

virtute pendeat, Christum tamen nostrum quoque conatum postulare, quamuis difficultatem nonnullam habeat coniunctā; erant enim maximæ hydriæ. deinde, conatum nostrum esse debere non qualem cunque sed perfectum. quia ministri implerunt eas ad summum. vnde vulgo dicitur. Deum nemini deesse sua gratia, si faciat, quod in se est. 2. nos habere hydrias sex implendas, animam, corpus, intellectum, voluntatem, sensus internos & externos. *thesaurum enim gestamus, ut ait Apostolus, 2. Cor. 4. in vasis fictilibus; sed implendæ sunt aqua contritionis & lacrymarum, ut conuertantur in vinum gratiæ. Cor enim contritum & humiliatum Deus non despiciet, ait David. Psal. 50.*

*Architriclinus dicit sponso. Omnis homo 3o primo bonum vinum ponit, deinde quod deterius est.* Considera mores hominum mundi contrarios esse moribus & legibus veri spōsi Chr stii: illi enim primo vinum bonum suis in hac vita apponunt. i. voluptates, honores, & opes, deinde verò deterius, nempe crucē conscientiæ, desperationem, damnationem æternam. Christus vero commendat suis paupertatem, fletum, crucem, tribulationes in hac vita, deinde vero thesauros magnos in cœlo ac æterna gaudia. Vide tu-



de tu viros malis sequi B. Augustinus certe Christum maluit quam mundum, cum diceret, *Hic ure, hic seca Domine; modo in aeternum parcas.*

DOMINICA III. POST EPIPH.

*De Leproso, & Centurionis seruo,*

*Matth. 8.*

**L**EPROSUS adorato Christo dixit (*Domine, si vis, potes me mundare*) Considera primò, Christum post descensum ex monte, in quo multa dixerat de dilectione proximi, iam venire ad praxim, & exercere illam: vt discas doctrinam debere respondere cū vita. Diligere enim debemus proximum non tantū verbo, sed opere & veritate, vt loquitur B. Ioannes. 2. Vide quid faciat leprosus. vt impèrret sanitatem. humiliat se, fidem suam magnam opere adorationis, protestatur, agnoscit, & fatetur se leprosum, soli que diuinæ voluntati se committit, dicens: *Si vis, potes.* vt discas tum orationem tuam fore efficacem, si humiliter petas, & cum resignatione, vt tantum voluntas Dei fiat, siue sanus, siue infirmus esse debeas; forte enim hic leprosus si infirmus non fuisset. Christum non quæ-  
sisset.

EX



*Et extendens Iesus manum tetigit eum di-* 2.  
*sens: Volo mundare.* Considera primò Chri-  
 stum cum verbo posset, tactu tamen volu-  
 isse eum sanare, vt doceret te non debere  
 abhorrere à pauperibus, vel ægris, quan-  
 do potes eos iuuare. S. Martinus & S. Frã-  
 ciscus leprosum osculari sunt, S. Elzearius,  
 & S. Margareta regina Scotiae etiam pedes  
 eis lauere. Et eadem ratione nec desistere  
 à scelestis, hominibus iuuandis. 2. cogita  
 & te fieri leprosum, quando animam tuã  
 finis vel vno peccato mortali, vel multis  
 imperfectionibus scedari, & ideo te indige-  
 re etiam tactu frequenti sanctiss. carnis  
 Christi in S. Eucharistia.

*Dixit Iesus mundato. ( Vide nemini dixit. 3.*  
*vis, vade, ostende te sacerdoti, & offer munus.)*  
 Considera, quantopere piis cauenda sit  
 vana gloria, quæ, sicut vmbra corpus, ita  
 solet sequi bona opera; cum Iesus, nec ti-  
 muerit se peccaturum, & potius debuerit  
 promulgare hoc suum opus. 2. quod pude-  
 re nos non debeat peccata etiam turpissi-  
 ma & grauissima Confessario, vel patri spi-  
 rituali patefacere, vt oratione, consilio, &  
 imposta satisfactione perfecte à lepra  
 peccati liberemur. 3. bonum esse, gratum  
 erga Deum animum, testari etiam munere



terno, offerendo illud in templo, vel gratias pro beneficiis acceptis Deo agendo. Deus enim ideo sibi cupit aliquid de tua substantia dari, vel a te crebras gratias agi, ut tibi plura dare possit.

## II. PARS.

## De Centurione.

1. **I**N urbe Capharnaum, Centurio dixit Ies<sup>u</sup>sv, *seruum suum iacere paralyticum & male torqueri.* Considera primo caritatem Centurionis etiam pro vili seruo solliciti. Et Christi humilitatem, qui non dedignatus illum, respondit. *Ego veniam, & curabo eum, ut discas, si superior sis, etiam viles subditos non respuere; & si non sis, exemplo Christi, promptè eis, cum potes, succurrere.* 1. expende, num tu quoq; sis paralyticus, primo enim seruus peccati es & passionum, si eas non expugnes. 2. iaces in lecto, si affectu sis immerlus rebus mundi. 3. es paralyticus, si in peccato mortali; quia nihil potes operibus bonis mereri. 4. malè torqueris, si excruciet te in aliqua re conscientia, & nimia sollicitudo rerum temporalium.

2. *Respondens Centurio ait. Domine non sum dignus,*



dignus, ut intres sub tectum. Et nam & ego  
 homo sum sub potestate constitutus dicens  
 huic. Vade & vadit. Considera, Centurio-  
 nem eo ipso, quod indignum se reputat, fa-  
 ctum dignum, ut Christus intraret non do-  
 mum, sed cor eius. Vide quot virtutes hic  
 declarat. Humilitatem, dum indignum se  
 putat Christi praesentia. Fidem dum credit  
 absentem verbo posse sanare. Sapientiam,  
 dum a nemine doctus agnoscit. Deum, Do-  
 minum omnium creaturarum, cui creatu-  
 ra facilius obedire ad nutum debeant, quam  
 famuli sui sibi. O fides eximia, non gentilis,  
 sed Christiani: non militis mundi, sed Christi.

Christus miratus tantas virtutes in ho-  
 mine gentili praedixit multos gentiles ubique  
 conuertendos, filios autem regni, id est, iuda-  
 os eiciendos in tenebras exteriores, ubi erit fle-  
 tus & stridor dierum. Considera primo Chri-  
 stum miratum eius virtutes, non quod i-  
 gnoraret, sed ut declararet quanti faciendae  
 sint in eo, qui omnium rerum diuinarum est i-  
 gnarus. Secundo, ut disceres non attendere  
 Deum ad statum, an iudaus quis sit, vel gentilis,  
 religiosus vel saecularis, sed ad veras virtu-  
 tes. 1. Considera, non quia Christianus, B.  
 V. Sodalis vel religiosus es, ideo te securum  
 de salute, sed in humilitate, caritate, aliasque  
 Centu-



16. MEDITATIONES IN

Centurionis virtutes imiteris. Quo enim plura dona à Deo accepisti, hoc grauius punieris, si eis vsus non fueris.

DOMINICA IV. POST EPI-  
PHANIA M.

*De sedata maris tempestate. Mat. 8.*

**D**ORMIENTE Christo coorta est in mari vehemens tempestas. Considera Christo dormiente in naui, angelos ascendisse & descendisse de cœlo, vt accidit Iacob patriarchæ dormienti in Bethel, Genes. 28. 2. licet in naui Ecclesiæ, vel Religionis cū Christo sis, tamen ideo te non immunem fore à tentationibus dæmonis, mundi, & carnis, imò magis obnoxium. Omnes qui *piè viuere solunt*, ait Apostolus; *persecutionem patientur.* 3. Christum tum dormire, & permittere nos tentari, quando nos in fide imperfecti, & tepidi in diuino seruitio sumus, vt primo agnoscamus nostram infirmitatem. 2. vt eius auxilium inuocemus. 3. vt cooperemur, & faciamus quod in nobis est. 4. vt plus mereamur certando. 5. vt consolatio sequatur maior, post superatā tentationem.

*Excitarunt eum à somno territi discipuli: quos*



DOMINIC. TOTIVS ANNI. 17

quos de fidei leuitate arguit. (*Quid timidi estis modica fidei?*) Considera, quanta consolatio sit homini Catholico, vel religioso, dum sciat secum esse Christum, maxime si crebro communicet: quia in qualibet tribulatione potest eius auxilium inuocare. 2. cogita merito Christum discipulos arguere de nimio timore, & modica fiducia, quia omnes, etiam qui pij esse cupimus, in eo ferè delinquimus, quod nimis timidi simus, vt v. c. ne rideamur ab aliis, vel nimis pusillanimes, in graui tentatione superanda, nec plenè in diuina gratia confidamus; & ideo nec proficimus.

*Ventis & mari praecepit, vt conuiescerent 3.*  
& facta est statim tranquillitas. unde obstupentes homines dicebant. (*Qualis est hic, quia ventis & mare obediunt ei.*) Considera, quam admiranda sit Dei potentia, quod omnes creaturae licet rationis expertes, ac etiam furiosum mare, ad nutum obediat; solus verò homo ad imaginem Dei factus, rationis compos, obedire aliquando nolit. Hoc enim magis est stupendum, quam illud. 2. quanta Dei sit bonitas, vt licet culpabiles simus saepe & immorigeri, tamen statim atque opem eius implorauerimus, sedet tempestatem tentationum daemoris, mundi, &

B di, &



di, & carnis 3. considera in hoc consistere perfectionem obedientiæ creaturæ erga creatorem, subditi erga superiorem, quem loco Dei habet, vt statim nulla mora interposita obediat, & imperata exequatur.

DOMINICA V. POST EPI-  
PHANIAM.

*De bono semine & Zizaniis.*

*Matt. 13.*

1. SIMILE est regnum cælorum homini, qui seminavit bonum semen in agro suo. Considera regnum Dei esse intra nos, vt dicit Christus. ager est anima nostra, quam primo aratro contritionis proscinde. 2. semen boni propositi de vita, vel vitio emendando in eam iniice. 3. orationibus feruentibus & lacrymis irriga. 4. mortificatione quotidiana subiice, donec moriatur mundo. nisi enim granum mortuum fuerit ipsum solum manet. 5. in dies proficere stude, vt cum semen ad maturitatem spicæ venerit in hora mortis, illud in horreum vitæ æternæ ministris angelis colligas.

*Ioan.*

*12.*

*Cum dormirent homines, inimicus super-  
2. seminavit zizania, & abiit. Cogita simu-  
latiq; bonum aliquod propositum feceris,*

*non*



DOMIN. TOTIVS ANNI. 19

non defuturas tentationes illi contrarias.

*Tentatio enim est vita hominis super terram,* <sup>Iob. 7.</sup>  
ait Iob. Et. *per multas tribulationes oportet* <sup>Act. 14.</sup>  
*nos intrare in regnum cælorum.* Causa est, vt

plus moreamur, & similes simus Christo  
multa passo. 2. cogita, eo magis tibi vigi-  
landum, quod tres inimicos habes capita-  
les, & insomnes, dæmonem, carnem, &  
mundum: Vigilabis autem, si quotidie per  
examen conscientie notes an aliqua zi-  
zania ab illis tibi immissa sint in cor, id est,  
cogitationes repugnantes tuo bono pro-  
posito, easque statim eradica, ne si diutius  
hæreant, postea cogaris extirpare & triti-  
cum sancti propositi. 3. aduerte inimicum,  
vbi superfeminavit, abire & deserere agrum.  
hoc enim proprium est mali seminantis,  
vt deserat animam, & relinquat conscien-  
tiam tristem; boni autem, vt lætam & pa-  
catam.

*Tēpore messis messorēs zizania in ignē pro-* 3.  
*secere, triticū autē collegere in horreum.* Consi-  
dera, messorēs esse angelos, vt Christus ex-  
ponit; & malos quodē zizania nostra. i. mala  
opera annotare, bonos verò bona, & in fi-  
ne vitæ ea pducere, in conspectū æterni iu-  
dicis, vt iuxta ea iudicemur. 2. cogita, quā-  
diu in hac vita es, te posse esse messorē, quo



20 MEDITATIONES IN

9. Cor.  
11. ties examinas conscientiam, aut confiteris sacerdoti, vt sic zizania seminata ex corde tuo extirpes. Si enim nos hic iudicauerimus, non vtiq; post mortem iudicabimur: si hic illa igne pœnitentiæ combufferimus, ibi non conuicentur in ignem inferni.

DOMINICA LXX.

*De operariis in vineam missis.*

*Matt. 20.*

1. CONSIDERA, cur Ecclesia hoc die Alleluia. Gloria, & alia cantica læta omit-  
tat vsque ad Pascha; nempe, quia dies sunt luctus, & pœnitentiæ agendæ ob peccata toto anno, vel vita, quæ vltra 70. annos vix durat commissa. Cuius typus fuit 70. anni Babyl. captiuitatis. Quia autem in pœnitentia labor subeundus est, ideo de operariis Euangelium proponitur.

2. CONSIDERA operarios variis horis diei mitti in vineam à Domino; quia alij ad fidem, vel religionem initio, alij in medio vel fine vitæ vocantur. Item ad vitam æternam, alij iuuenes, alij senes, sed nullus mercedem accipit, nisi strenuè laboret, & perseueret vsque in finem. 2. cogita, vineam tuam, esse animam tuam, vel proximi. cu-

ius



DOMINIC. TOTIVS ANNI. 22

ius cultu, vt vitam æternam merearis, 1. vi-  
tes sedulo amputa, id est, superflua rescin-  
de. Habentes enim quod edamus, & vnde <sup>1. Ti.</sup>  
vestiamur, contenti esse debemus. 2. alliga <sup>6.</sup>  
ad stipitem, id est, Christum, implorando  
eius gratiam, sine qua nihil possumus fa-  
cere. Liga vinculis boni propositi, regula-  
rum sodalitatis, vel votis religionis, si id  
DEVS inspirat. 3. expone soli, & libenter fer  
pondus diei & æstus, sciens feruorem in  
bonis operibus Deo gratissimum. 4. im-  
pingua pinguedine crebræ confess. pecca-  
torum, & S. Eucharistia. *Pinguis enim est Ioan. 6.*  
*panis Christi*, vitam sustentans in æter-  
num.

CONSIDERA nouissimos vltima hora vo- <sup>3.</sup>  
catos eandem mercedem accepisse cum  
primis, vt discas Deum profectum nostrum  
non metiri diuturnitate temporis, quo ei  
feruimus, sed ex studio verarum solidarū-  
que virtutum, pura intentione, & zelo ma-  
gno ac feruore, deinde quotidiano profe-  
ctu, contemptu profundo sui & mundi, cō-  
formatione voluntatis cum volunt. diuina  
in omnibus, aduersis æquè ac prosperis.  
Vnde videmus miraculis claros factos et-  
iam qui breui tempore sanctè vixerunt.

3. Cogita de illa Christi conclusione. *Mul-*

B. 3. 1129.



*ti vocari, paucielecti.* quam merito timere debes, nisi paucis bonis te adiungas, id est, angustam viam, de qua Matth. 7. dicitur, quod pauci eam ingrediantur, teneas.

## DOMINICA LX.

*De semine in terram iacto.*

*Matt. 13. Luc. 8.*

1. **I**ESVS *ad turbas dixit ( Exijt qui seminat  
seminare semen suum )* Considera Deum, qui nos ad laborem in vineam vocat, etiã semen suum, id est, gratiam & auxilia per varia media, quo bonitatem paternam erga nos declaret, cõmunicare per pulchritudinem cœli & creaturarum, per legem scriptam in cordibus, vel conscientiis, conciones, lectionem, inspirationem, exempla, leges Ecclesiæ, regulas cuiusq; status, vim sacramentorum, monita parentum & praeceptorum, morbos, bella, &c. tu vide, an omnibus usus fueris; & si nullis, fore inexcusabilem.

2. *Et aliud cecidit secus viam, aliud supra  
petram, aliud in spinas.* Considera semen bonum agro cordis tui per dicta media in-  
rectum tribus de causis posse reddi infructu-  
erum. 1. si ad conciones, & alia media,  
vel



vel non seriò attendas, vel non animo proficiendi, aut ad te pertinere non putes, aut contempnas. 2. si attendas quidem, sed cor durum & petrosum retineas, vt nolis veteres occasiones delinquendi mutare, metu confusionis, irrisionis, vel afflictionis secutura. 3. si paratus quidem sis ad omnia facienda, sed animo nimium intentus sis, opibus congerendis, domesticæ rei curandæ, venationi aliisque recreationibus, studiis literarum profanis vel sacris, vt excellas alios. Hæc enim immoderata cupiditas, quasi spinæ, suffocat spiritum pietatis, vt orandi, meditandi, se mortificandi, &c.

*Aliud cecidit in terram bonam, & ortum 3. fecit fructum centuplum.* Considera primò, terram bonam esse cor bonum & optimû; vt Christus exponit: Nihil enim gratius est Deo, quam si ei seminanti offeras cor tuum, id est, bonam voluntatē. Vnde Prou. 3. dicit. *Præbe fili mi cor tuum mihi.* Offer ergo, ac roga vt illud inspectat quo velit. 2. cor bonum eos offerre, qui parati sunt Dei præcepta, & Ecclesiæ seruare, ne excidant ex gratia Dei. Optimum autem, qui parati sunt non tantum declinare à malo, sed etiam facere bona, ad quæ



24. MEDITATIONES IN

ex praecepto non tenentur, deinde & mala, id est, tribulationes, voluntarias poenas, opprobria, & mortem pro Christo, sustinere.

DOMINICA QVINQVAGE-

SIMAE.

De Passione Christi, & caco. Luc. 18.

1. CHRISTVS *pradixit 12. discipulis passionem suam, (& ipsi nihil horum intellexerunt.)* Considera primò ab Ecclesia hoc Euangelium proponi, vt te deterreat à licentia peccandi, quæ solet esse his diebus, cum mundus prorsus insanit & cæcus est: nihil enim efficacius à peccato retrahit, quam meditatio tam diræ passionis. 2. in transfiguratione tres tantum discipulos interfuisse, nunc verò omnes assumi, quia proprium est verorum discipulorum Christi ferre crucem & multa pati. 3. ipsos nihil intellexisse, quia carni & mundo omnino contrarium est, contemni, conspui, flagellari, crucifigi, & è luto peccati resurgere.
2. *Caco mendico clamante, licet turba vellet eum tacere, stetit Iesus, cum duci ad se iubet, petit quid sibi fieri velit?* Considera primò, quando volueris vitam emendare, vel sanctius



DOMINIC. TOTIVS ANNI. 253

ctius vitæ genus amplecti, statim tibi reluc-  
taturum mundum, carnem & dæmonem,  
sed tuum esse exemplo cæci non curare,  
sed fortius clamare. 2. dum persistinus in  
bono proposito, superatis difficultatibus  
statim adesse auxilium diuinum, & Chri-  
stum stare, nosque ad se aduocare, licet cæ-  
ci & mendici simus, id est, omni virtute de-  
stituti & peccatis obfiti, modo ex parte no-  
stra parati simus ad sordes vitæ antea actæ,  
vel defectus pristinos deserendos.

*Cum cæcus à Domino tantum petiisset, vt 3o  
videret, mox vidit, eumq; secutus est magni-  
ficans DEVM.* Considera tam bonum esse  
Dominum, vt beneficia sua velit nobis da-  
re non tam secundum suam, quam nostram  
voluntatem & petitionem, nempe vt sic  
dona sua, fiat etiã nostra mērita. Vnde ali-  
bi dicit. *Petite & accipietis, 2. cæcum non*  
*opes, licet esset mendicus, sed tantum vi-*  
*sum petiisse: vt discas non honores, opes,*  
*voluptates petere, quia potius excæcant,*  
*sed tantum visum, id est, cognitionem Dei*  
*& tui, tuarum imperfectionum, & vanita-*  
*tum mūdi, notitiam præsentia Dei, & no-*  
*uissimorum 3. cæcum visu recepto secutum*  
*Christum, & gratias egisse, vt discas, tibi*  
*talem vitam post conuersionem ducent-*

B s dam.



dam, qualem duxit Christus, gratias saepe agendas pro beneficiis, laudandum Deū, & alios eo pertrahēdos, sicut exemplo cæci turba hic pertracta est.

## FERIA IV. CINERVM.

De ieiunio, & thesauro in cælo. Matt. 6.

1. CHRISTVS dixit discipulis. (*Tu cum ieiunas, unge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans.*) Considera ieiunium, aliasque afflictiones corporis etsi occultè fiant, videri à Deo in abscondito, esse illi gratas, easque remuneraturum in cælo. 2. bona opera vt mereantur vitam æternam, debere fieri, primò humiliter, exclusa omni vana gloria, secundò hilariter, omni remota tristitia *Hilarem enim datorem diligit Deus.* tertio ad gloriam Dei & Christi: illud enim est *ungere caput nostrum Christū* id est, vnctū. quartiò, cum bona intentione, v. c. ieiunare, vt satisfacias pro peccatis, vt Christum imiteris & sanctos; vt ad orandum promptior. Hoc enim est *lauare faciem.*

2. Cor.

9.

2. *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra sed in cælo, ubi fures non effodiunt, &c.* Considera qui sint thesauri in terra, nempe

pe



pe opes, honores, voluptates, existimatio  
 nominis ob potentiam, eruditionem, &  
 quicquid tolli nobis hic potest. thesauri  
 verò in cœlo, sunt virtutes & bona opera,  
 quæ sola post mortem nos sequuntur in cœ-  
 lum iuxta illud: *Beati, qui in Domino mo-* <sup>Apoc.</sup>  
*riuntur, opera enim sequuntur illos.* 2. inde <sup>14.</sup>  
 sequi multa bona opera debere te facere,  
 quia thesaurus non conficitur nisi ex mul-  
 tis. Vbi vide quibus maximè thesauri in  
 cœlo promissi sunt. nempe qui multa pa-  
 tiuntur propter Christum; qui omnia pro-  
 pter eundem relinquunt, & c. 3. *Vbi est the-* <sup>Matt.</sup>  
*saurus tuus, addit Christus, ibi est & cor tu-* <sup>5.</sup>  
*um.* ut scias, te, si verè thesaurum in cœlo <sup>Matt.</sup>  
 habes, mentem sapius debere attollere in <sup>19.</sup>  
 cœlum, & ubique Deum quasi præsentem,  
 qui est nobilissimus thesaurus tuus, con-  
 templari.

Confidera de ritu Cinerum. 1. eos fron- <sup>3.</sup>  
 ti aspergi, ad discendam humilitatē cor-  
 dis. Sacerdos enim dicit. *Memento homo,* <sup>Gen. 3.</sup>  
*quia pulvis es & in pulverem reverteris:* hu-  
 militas enim reo veniam petenti in primis  
 necessaria est. 2. benedicti sunt, ut benedi-  
 ctionem gratiæ cœlestis consequamur. 3. ut  
 nouissimorū crebro recordemur & ut usq;  
 ad cineres, i. mortem in gratia persistamus.

DO-



Inno-  
centii:  
Luc. 4.

## DOMINICA I. QUADRAGES.

De tentatione Christi, Matth. 4.

1. **P**OST baptismum secessit in desertum Christus, & ibi per dies 40. & totidem noctes ieiunavit. Considera primò, quod post testimonium de cœlo acceptum in baptismo, quod esset filius Dei, nihilominus quasi pœnitentiæ agendæ causa in locum desertum & horridum secedat, vbi sine cibo, lecto, & recto in silentio inter bestias, vt ait Marcus, viuens pro tua salute se afflixit: vt discas eum, qui incipit Deo seruire, debere carnem suam crucifigere cum concupiscentiis. 2. ô anima mea agnosce te esse vnâ ex bestiis istis. agnosce, quoties indomito passionum tuarum impetu patientiam Christi læsaris, abiice te ad pedes solitarij Iesu, deplora, scelera tua, & osculatis eius pedibus mansuetum eius vultum aspice, si forte te respiciat.

2. **T**er ab inimico tentatus est. (Accedens tentator dixit ei. Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Mitte te deorsum. Hac omnia tibi dabo si cadens adoraueris me.) Considera extremam humilitatem Christi, quod non tantum passus sit se crebrius à damo-

ne ten-



DOMINIC. TOTIVS ANNI. 29

ne tentari (vt discas, licet sanctus sis, te nõ fore à tentatione liberum) sed etiam permiserit se à dæmone assumi, primò in pinaculum templi, tum in montem excelsum, quod non videtur contingere nisi sceleris hominibus, vt magis, sagis, &c. Deinde quod passus sit se tentari turpissima tentatione, vt scilicet adoraret dæmonem.

(Angeli accesserunt, & ministrabant ei.) 3.

Considera Christum post tentationem fame debilitatũ iacere in terra nuda, & vultu pallidum, accedere mox plurimos angelos, & ex compassione eum è terra leuare, congratulari ei de victo dæmone, parare magno studio mensam, vt comedat. cogita te videre Christum superfaxo aliquo edentem circumstantibus angelis; tibiq; ministerium angelorum affuturum, si libenter ieiunio, & aliis pœnis corpus castigaris, & tentationes mundi, carnis, dæmonisq; viceris.

DOMIN. II. QVADRAGES.

Remi-  
niscere

De Cananæa filia. Matt. 15.

CANANÆA Tyro & Sidone egressa petit  
filiam à dæmone sanari. Sed Christus ei. x  
nihil



nihil respondit. Apostoli dicunt ( *Dimitte eam, quia clamat post nos.* ) Considera, te si remissionem peccatorum, & gratiam Dei obtinere velis, debere. 1. societatem malorum, & occasiones peccandi deserere. 2. peccatum non excusare sed exaggerare cum Cananæa, dicente, filiam pessimè à dæmone vexari 3. perstare, licet statim non exaudire. 4. serîo Sanctorum preces implorare. 2. considera, licet Christus simularit se non audire illam, non id fecisse quod eam sperneret, sed vt ex constantia precandi clarius eius eluceret fides, humilitas, patiëntia, perseuerantia ad aliorum exemplum, & maius eius meritum.

2. Cum adorato Christo illa petiisset se iuari, & Christus respondisset, panem filiorum non dandum canibus, illa subdidit. ( *catelli edunt de micis dominorum.* ) Considera, quomodo mulier hæc à Christo, & Apostolis repulsa, nō pudore suffusa, nec metu cōsternata sit, sed cōfidens Christi bonitati, ad eius pedes se abiiciat, dicens: *Domine adiuua me*, non dicit iuua filiam, quia se agnoscebat culpa sua morbi causam. 2. vide, quomodo Christus, quo illa magis multiplicat preces, multiplicet repulsam, & quasi iratus vocet canē & indignā. Vide & humilitatē mulie-



DOMIN. TOTIVS ANNI. 31

ris, quod non indignatur, sed agnoscit se canē; & indignā pane integro. Et sapientiā mirā, q̄ hoc iptum nomen in suū cōmodū trahat, se nō panē, sed micas tātū petere, vt catelli solēt. vnde Christus stupens subiicit.

*O mulier magna est fides tua, fiat tibi sicut vis.* Matth. 11.  
O quam vere dixisti bone Iesu. Regnum Matth. 11.  
caelorum vim patitur. Nam mulier hęc & vim intulit sibi, humiliter & patienter ferendo tam durā repulsam: & tibi, quod vi quasi illata importunē gratiā petitiā extorsit; Et scio hoc licere imitari, quia Luc. 11. docuisti, importunē etiā instandū orationi; cupis enim precibus etiam cogi à nobis pro tua infinita bonitate, vt eo maiorē impertias gratiam. nam cū illa cōtenta fuerit micis. tu tamē respōdes. *Fiat tibi sicut vis*, id est, quicquid petis à me habere, obtinuisti.

DOMINIC. III. QVADRAGES. Oculi.

*De damonio muto. Luc. 11.*

**D**Emone ex muto & caco eiecto, quidam dicunt, (in Beelzebub principe demoniorum eiecit damonia) alij aliud signū quarebāt. Cōsidera licet tria beneficia hic collata sint, tamē ex inuidiā hos pessimā in partē interpretari, illos extenuare, turbam solam mirari, vt discas inuidi & maligni ingenij esse opti,



optimè facta vel malè interpretari, vel extenuare, quod pij & simplices laudant. 2. bonis operibus, vel admonitionibus aliorum, nos non fieri meliores, sed deteriores, nisi securim ad radicem ponamus, id est, nos ipsos emendemus. Sicut enim bonis etiam pessima cooperantur in bonum, ita malis optima in malum: similes enim sunt araneis dulcedinem floris in venenum vertentibus.

2. IESVS *Vt vidit cogitationes eorum, dixit eis. Omne regnum in se diuisum desolabitur, &c.* Considera Christum non maledictum pro maledicto reddere, sed tantum honorem Dei rationibus quatuor tueri, vt discas, si quid contra personam tuam fiat patienter propter Deum ferre, ac non petenti etiam condonare: si autem contra honorem Dei, fidei Catholicæ, religiosi status, famam piorum quid dicatur, tunc non silere, sed defendere pro virili. Sic Moyses murmur contra se patienter tulit, sed idolatriam, quæ erat contra Deum, seuerè puniuit. Sic mulier è media turba hic Christum & matrem eius beatos clamat.

3. *Mulier de turba dixit. Beatus venter, qui te portauit. Et respondit Christus. Quinimò, Beati qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.*



*illud.* Considera fortitudinem mulieris, quod metu omni excluso Iudæorum calumniantium, gloriam Christi & S. matris elata voce tuetur, eligens potius contemni cum Christo, quam honorari à Pharisæis. 2. cogita Christum ob ingratitude aliorum mœstum, valde recreatum laudē matris, & ideo omnibus aliis relictis conuertisse se ad mulierem & dixisse. Tu vocas meam matrem beatam quod me conceperit, sed ego beatiorē puto, quod verba mea audierit & custodierit, sicut & tu nunc es, omnesque qui ea audita custodiunt.

DOMIN. IV. QVADRAGES. *Letare.*

*De multiplicatione 5. panum.*

*Iohan. 6.*

**C**VM IESVS monte conscenso subleuasset oculos, vidit turbam ingentem tendere ad I. se, rogantique de panibus respondit Andreas. Est puer vnus hic habens quinque panes hordeaceos, & duos pisces. Considera Christum ex valle montem conscendere, vt doceat nos ad perfectionem vitæ spiritualis tendere, sed non sine labore ad eam perueniri. 2. modestiam Christi oculos semper demittentis, nec subleuantis nisi in cœlum, & ad



34 MEDITATIONES IN

& ad populum. vt discas duo maximè tibi respicienda, nempe salutem tuam in cœlo, & salutem proximorum. 3. si solo aspectu suo Christus attrahat turbam, quid faciet præsentia in Eucharistia? 4. Christum in miraculo vti ministerio puer; patria relicta dominum secuti, & quidem pauperis, quia hordeaceos habuit panes, vt scias puerorum & humilium opera Deo gratissima.

<sup>2</sup> IESVS gratis actis panes 5. & pisces duos quinque millibus in fœno discumbentibus distribuit. Considera, feruorem tot millium hominum, quod non solliciti de cibo Christum tam longè sint secuti, & summam Dei prouidentiam nunquam in se confidentes deserentis. 2. cogita, si filius Dei, dator omnium bonorum gratias agit Patri pro quinque panibus, multo magis nos viles creaturas debere corde, voce, & opere pro tot beneficiis quotidianis gratias continenter agere. 3. vide, quanto amore panes piscesque frangat, & simplici turbæ, distribuat, memor se aliquando panem cœlestem in extrema cœna, in memoriam piscis in cruce passionis assi distributurum, qui satiet in æternum. 4. cogita illum dignè non accipi, nisi à discumbente in fœno, id est, humiliter de se sentiente, & carnem suam,



DOM. TO TIVS ANNI. 35 *Isa.*

suam, *omnis enim caro fœnum*, ait *Isaias*,  
mortificante & supprime. <sup>40.</sup>

*Collegerunt duodecim cophinos fragmen-*  
*torum.* Considera, quando bona nostra, si-  
ue temporalia, siue spiritualia, etsi pauca  
sint, libenter communicamus proximo,  
non perire, sed crescere & multiplicari, uti  
multi magni eleemosynarij experti sunt. 2.  
maiolem fuisse post saturationem colle-  
ctionem fragmentorum, quam panum, ut  
significaretur indeficientia conuiuij cœle-  
stis in vita æterna consecutura, ubi quisque  
fragmento suo, id est, speciali beatitudine  
ita saturabitur, ut nec esuriat, nec sitiat  
amplius. <sup>3.</sup>

DOM. V. QVADRAG. *Iudic.*

*De immunitate Christi à peccato.*

*Ioan. 8.*

**D**IXIT *Christus Iudæis.* (*Quis ex vobis ar-*  
*quet me de peccato? Qui ex Deo est, verba*  
*Dei audit.*) Considera, cum à Christo dica-  
ris Christianus, te conari debere, ut immu-  
nis sis à peccatis saltem mortalibus: & sci-  
re potius esse moriendum, quam in tale  
peccatū consentiendū. deinde deliberatō,  
maximè si religiosus sis, nec consentire in  
venialia, imò etiam cauere imperfectiones

C 2 quæ



quæ peccata non sunt. 2. examina te ipsum, an verbum Dei, exhortationes pias, & inspirationes diuinas libenter audias. iisque obsequaris: quia si secus fiat, non es in Dei gratia, nec in numero prædestinatorum.

2. *Cum Iudæi dicerent eum esse Samaritanum & habere demonium, respondit. (Ego demonium non habeo, sed honorifico patrem meum Non quero gloriam meam.)* Considera, patientiam Christi nihil respondentis de nomine Samaritani, quia tangebatur contumelia personam ipsius, (nam reputabant eum indignum sua conuersatione, nõ enim Samaritanis contebantur Iudæi, sicut *Iohn. 4.* ut nec nos nunc Iudæis, & Turcis) sed de dæmonio, quia tangebatur gloriam Dei, mitissime respondit. *Ego demonium non habeo* & considera, si Christus propriam gloriam non quæsiuit, quanto minus tu debeas Fac ergo omnia in Dei gloriam, & tunc Deus etiam honorificabit te. vnde vides quantum peccent, qui honoris sui cupidi, minimam etiam iniuriam vindicare non dubitant sanguine suo.

3. *Si quis sermonem meum seruauerit, non gustabit mortem in æternum.* Considera, hæc promissionem esse eius, qui mentiri & fallere non potest, & quidem de morte spirituali



tuali animæ. Vide, quantum Dei benefici-  
cium sit, in æternum non solum viuere, sed  
felicissimè viuere; taliq̃ue cogitatione te  
obfirma, ne sermones Dei vnquam sciens  
transgrediare.

DOMIN. VI. QVADRAG. *Palmas*  
De ingressu Christi in Hierusalem. *1478.*  
*Matth. 21.*

**P**RÆCEPIT primo Dominus adduci asi-  
nam & pullum (Soluite & adducite mi-  
hi: & si quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia  
Dominus his opus habet, & confestim dimit-  
tet eos) Considera primo, Christum pro suo  
triumpho vilia præparare animalia, nullo  
ornatu, etiam necessario, instructa, vt di-  
scas Christiani hominis triumphum & glo-  
riam veram esse in amore contemptus sui,  
humilitatis & paupertatis. Pauperum enim  
spiritu est regnum cœlorum. 2. in ipsa *Mat. 8.*  
humilitate simul ostendere suam potenti-  
am, tum quod tanquam Dominus omniũ,  
iubet bestias solui & adduci, non petita pri-  
us potestate à Domino earum; tum quod  
mouit cor absentis, vt sponte eas dimitte-  
ret, vt discas nihil potentius esse humilita-  
te ad solutionem à peccatis, & Deum tibi  
conciliandum, vt faciat, quod petis,

C 3 *disci-*



98 MEDITATIONES IN

2. *Discipuli fecerunt, sicut praecepit IESVS, & positis vestibus super asinam eum desuper sedere fecerunt.* Considera primo, obedientiam perfectam discipulorum, tum quod non disputarint de mandato, an esset iustum aliena tollere, tum quod in re vili, vt ducenda asina cum pullo per plateas, paruerint. 2. simplicitatem & deuotionem erga Christum, quod ad honorandum illū tritas vestes suas exuerint, iisque strauerint asinam. vt scias licet Christus humiliet se, nostrum tamen esse illum honorare, quantum possumus, & ideo tam splendide ornantur omnia in templis. 3. cogita amorem Christi in nos, qui tunc finit se portari ab asina, id est, corpore nostro peccatis subito, quando absoluti sumus à vinculis peccatorum, & vestibus virtutum apostolicarum ornati.

3. *Excepturus eum populus, cum veniret obuiam, vestimentis suis, & ramis arborum sterneret viam, & canebat. (O sanna, filio Dauid. Benedictus, qui venit in nomine Domini, O sanna in altissimis.)* Considera tunc te vestes sternere Christi pedibus, quando bonis temporalibus succurris pauperibus per pedes Christi significatis: ramos verdè oliuarum, cum opera quæuis caritatis & misericor.



DOM. TOTIVS ANNI. 37

sericordiae exeres; & palmarum, cum victoriam ex tentatione reportas. Canis autem Osanna, quando eius beneficia agnoscis, laudas & praedicas. 2. considera, summum honorem hunc paulò post à populo in summum dedecus mutatum. Hodie honorant eum suis vestibus, post spoliabunt eum propriis, & illudent veste aliena. nunc colunt ramis arborum, frondibus & floribus, tunc ramis crucis, spinis, clavis & virgis: nunc acclamant, *Benedictus*, tunc ridebunt eum, conspuent, & acclamabunt, crucifigatur: nunc honorificè in urbem recipiunt, tunc cum dedecore cruce onustum eiicient.

IN DIE PASCHÆ.

*De apparitione mulieribus facta.*

*Marci 16.*

CONSIDERA quomodo anima Christi, postquam triduo solata est S. Patres in lyngo, in sepulchrum ingressa corpus resumpserit, & summa luce illustratum, fulgentibus imprimis manuum pedumque vulneribus eduxerit, vt nobis certam spem daret nos similiter resurrecturos, si hic exuto vetere homine in nouitate vitæ ambulemus, & carnem crucifigamus

C + cum



cum concupiscentiis: Passus enim est pro nobis & resurrexit, & sequamur vestigia eius.

1. *Summo mane ad monumentum profecta sunt, Maria Magdalena, Iacobi, & Salome, inter se dicentes. ( Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti )* Considera primo, charitatem summam mulierum. Viderant Christum in cruce expirantem, sepulcro clausum reliquerant, idem milite obsesum sciebant, nec aliud, quam incrementum doloris aspectu corporis secuturum norant, tamen extremum hoc officium illi deferre voluerant, vt vngerent. *Verus enim amor, ait Chrysologus, nihil asperum, difficile, vel impossibile putat.* 2. Considera, eas, licet dubitarent, quis reuolueret tam grandem lapidem, tam pergere, quia in Deo fidebant, vt discas, etiamsi dum cepisti vitam emendare, vel mundum relinquere, difficultas in lapide pœnitentiæ mouendo occurrat, vel timor vt non perseueres in proposito, non diffidere; fidenti enim mox aderit angelus, qui remoueat lapidem, id est, omnem difficultatem.
3. *Viderunt lapidem reuolutum, & angeli dictum audierunt. ( Iesum quaritis Nazarenum crucifixum? Surrexit, non est hic. )* Considera



sidera post Christum resuscitatum, angelum reuoluisse lapidem, & sedisse super eum, vt discas postquam semel exierimus è sepulchro peccati mortalis, debere deinceps sedere super lapidem, id est, carnem nostram comprimere, & subiugare, ne iterum nos detrudat, vel concludat in sepulchro; Christus enim ita surrexit, vt in sepulchrum non redierit. 2. considera, sepulchrum, in quo erat corpus Christi, designare altare, in quo mysterium corporis & sanguinis Domini conficitur. Vnde si dignè ad hoc vis accedere: vide vt exemplo trium feminarum odorifera virtutum aromata, & suavis vnguentum orationis tecum deferas. 3. angelica consolatione dignos, qui cum debita præparatione, & deuote corpori Christi communicant, & ad loca sacra, vbi reliquæ Sanctorum sunt, peregrinantur.

## FERIA II. PASCHÆ.

De apparitione 2. discipulis facta.

Luca 24.

CHRISTVS apparuit duobus discipulis i. cum irent in Emaus, & de ipso colloquerentur, mæsti & tristes. Considera primo, cur Christus adiunxerit se illis. Id enim fe-

c s cit,



## 42 MEDITATIONES IN

fecit, quod essent afflicti. De Domino enim scriptum est, quod sit cum illis, qui afflicti sunt corde. 2. quia de re pia loquebantur, nempe de ipso. promiserat enim se in medio fore, ubi duo vel tres in nomine suo congregarentur. 3. ut ostenderet se fidelem amicum piorum, qui neminem in necessitate deserat. O quoties, etiam dum pecco, Domine, non deseris me? 2. Considera eum apparuisse in habitu peregrino, ut credas tibi pia loquenti, vel agenti eum adesse, licet non agnoscas. deinde, ut discas peregrinum te esse in terra, cuius conuersatio sit in celo. 3. eum querere, cur sint mœsti, non quod nesciat, sed ut ipsi infirmitatem suam fateantur, & sic rectius sanentur: sicut medicus ab ægro petit morbi causam, ut congruam faciat medicinam.

*Ps. 90.*

*Matt.*

*28.*

*Ps. 9.*

*Phil. 3.*

2. *Redarguit eorum incredulitatem, & mysteria passionis & resurrectionis ipsis exposuit. (O stulti & tardi corde ad credendum in omnibus, qua locuti sunt propheta. Nonne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam?) Considera hanc reprehensionem non ex ira, ut eos pudefaceret, sed ex magno amore profectam, ut errorem suum citius agnoscerent: stulti enim erant Iudæi, quod sine sanguine putarent se redimere.*



dimendos à Christo, cum legis sacrificia tam clarè id indicarint. stultior verò est seruus, qui aliam viam vult ingredi, quam Dominus. *Omnes qui pie vivere volunt in Christo*, ait Apostolus, *persecutionem patientur.* 2. considera, quanto cum amore IESVS medius inter istos duos inceserit, declarans illis scripturas, & simul donans lumen eas intelligendi, & cor ad fidem accendens. O quam felix fuisset anima mea, si potuisset colloquium illud audire, & videre flammam ex ore Domini erumpentes.

*Cum IESVS fingeret se longius ire, coegerunt eum manere secum; Fracto autem pane disparuit. Ipse autem subito in Hierusalem reuersi, nunciauerunt Apostolis, quomodo vidissent eum, & in fractione panis agnouissent.* Considera finxisse, vt probaret eorù amorem, & plus accenderet desiderium se retinendi, atque hac caritate mererentur illuminari, intus ardebant inter colloquium, sed fictionis solle flama prodiit exterius, dum eum cogunt; vt discas pauperes & peregrinos rogare & etiam cogere, vt officium caritatis acceptent. 2. cogita Deum, cum gratiam aliquam vis impetrare, velle non tantum rogari, sed etiam cogi, pugnando, l. viruliter cōtra difficultates, nam scriptum est

à vio-



*Matt.* 44 MEDITATIONES IN

*11.*  
*Ro. 2.*  
*1ac. 3.* à violentis regnum cœlorum rapi. 3. perpende, discipulos non esse illuminatos, dū Christum audirent, sed dum hospitio recepto cœnam apponerent. *Non enim auditores verbi, sed factores iustificantur.* Deinde illuminatos in fractione panis, ad ostendam S. Eucharistiæ efficaciam.

FERIA III. PASCHÆ.

*De apparitione discipulis congregatis facta. Luc. 24.*

*1.* **S**TETIT IESVS in medio discipulorum. *Et dixit, Pax vobis, nolite timere.* Considera, nunquam Christum deserere nos, quando in Societate bonorum manemus, sed stare medium, vt duces inter milites, patrem inter filios, caput inter membra, vt mœstos soletur. 2. precari pacem, etiam illis, à quibus erat offensus fugiendo, quia Deus est pacis & consolationis. pacem, nō quam mundus dat, sed quam angelus annunciauit hominibus bonæ voluntatis, pacem animæ cum Deo, cum proximo, & cum se ipso, quæ consistit in tranquillitate bonæ conscientie. 3. hortari, ne timeant Iudæos, qui occidere possunt corpus, sed eum, qui animam & corpus potest mittere in gehennam.

*Luc. 2.*

*Matt.*  
*19.*

*Turba.*



*Turbatis, quod putarent se spiritum videre, dixit. ( Videte manus meas & pedes, quia ego ipse sum, & ostendit eis.)* Considera, antegresso terrore Apostolos in Christi notitiam venisse, quia initium sapientiæ est timor Domini. *Sine timore enim, ait sapiens; nemo iustificatur.* 2. vide quantum laboret Christus, vt discipulos certos reddat de sua resurrectione: offert enim corpus suum, licet iam impassibile, videndum & tangendum offert manus perfossas, vt incitet ad pugnam: latus, vt ad amorem sui alliciat: pedes, vt vocet ad perseverantiam. Cicatrices retinuit, vt indicet nunquam se salutis nostræ depositurum memoriam.

Ecccl. 1.

*Deinde, cum adhuc non crederent, partem piscis assi & fauum mellis comedit, & reliquias dedit eis.* Considera humilitatem & caritatem Christi, iam gloriosi & Regis regum, quod dignetur cibum sumere cum pauperibus piscatoribus, vt eos lucrifaciat; vt discas benevolè & humiliter etiam cum pauperibus conuersari, si vis eos convertere. 2. considera mysterium, assus enim piscis, fuit sacra eius humanitas assata in veru crucis: fauus autem mellis eius diuinitas sua dulcedine pascens animas electorum. Reliquiæ autem datæ sunt apostolis, & nobis



46 MEDITATIONES IN

& nobis, in sacramento Eucharistiæ, in quo iis quotidie verè & realiter fruimur.

IN OCTAVA PASCHÆ.

Quasi  
modo.

De apparitione disci. facta presen-  
te Thoma. Ipan. 20.

1. **S**TANS IESVS in medio discip. dixit Pa-  
vobis. Sicut misit me Pater, & ego mitto  
vos. Accipite Spiritum sanctum, Quorum re-  
miseritis peccata, remittuntur eis. Confide-  
ra, sicut Christus non est missus in mūdum,  
ad regnandum, sed ad patiendum, sic te,  
siue sæcularis, siue religiosus sis, missum ad  
multa patienda pro Christo, & ad magnos  
labores. 2. considera Dei bonitatem, quod  
quoad peccata non velit aliud iudicium  
institui in cælo, quam illud ipsum quod  
hic à sacerdotibus Apostolorum successo-  
ribus instituitur in terra. Si ergo vis effuge-  
re seuerum iudicium Dei futurum, ne re-  
formides iudicium hominis peccatoris &  
infirmi, qui compati tibi potest.

2. Post dies octo & Thoma dixit. Infer digi-  
tum tuum huc, & vide, &c. & noli esse incre-  
dulus sed fidelis. & respondit Thomas. Domi-  
nus meus, & Deus meus. Considera incre-  
dibilem caritatem Christi, eundem labo-  
rem pro solius conuersione Thomæ iam  
impen-



impudentis, quem ante pro omnibus Apostolis, ut certi essent de resurrectione, impenderat, ostendens se bonum pastorem esse, qui relictis 99. quæsiuit vnā ouem in montibus errantem. Vnius animæ conuersio despicienda non est, cum Christus pro vna paratus fuerit mori 2. attende & sapientiam, quod Thomæ non soli, ut fecerat Petro, & Magdalenæ, sed coram Apostolis apparuerit; id enim fecit, ut & Apostoli plus firmarentur in fide, & in amorem Christi magis accenderentur. 3. cogitata humilitatem stupendam Christi, quod voluit manus in latus suum mitti. O quomodo arsit cor Thomæ cum mitteret eas in tam ardentem fornacē, & ideo in genua mox lapsus eū adorauit, clamās *Deus meus.* 3.

*Dixit Iesus Thomæ, ( Quia vidisti me, credidisti. Beati, qui non viderunt, & crediderunt )*  
 Considera, quando solatio nobis esse debeat hæc sententia, quod non minus beati-  
 simus nos, qui non vidimus in carne Christum, si in eū credamus, quā Apostoli, qui e-  
 um in carne viderunt, & tetigerunt: & ratio est, quia ut nos credamus, maior est difficultas, ac p̄inde & meritū, minor autē fuit  
 Apostolis. Vñ illud Gregorij. *Fides nō habet*  
*mentū, sibi humana ratio prabet experimētū.*

*Homil.*  
*26.*  
*in Eua-*  
*ng.*

DO-



Miseri-  
cordia.

48: MEDITATIONES IN  
DOMIN. II. POST PASCHA.  
De bono Pastore. Ioan. 10.

1. **D**IXIT IESVS turbis. (*Ego sum pastor bo-  
nus. Bonus pastor animam suam dat pro  
ouibus suis*) Considera omnes, qui curam  
habent aliorum, esse pastores, vt superio-  
res respectu subditorum, patrem familias  
domesticorum, magistros discipulorum  
confessarios pœnitentium, concionato-  
res auditorum, & quemlibet respectu sua-  
rum potentiaram, & membrorum. 2. con-  
sidera, tunc te bonum esse pastorem tui,  
vel tuorum, cum eos pascis & regis, verbo,  
exemplo, & cibo corporali & spiritali O-  
uem verò bonam, cum simplex es, humi-  
lis, innocens, obediens, utilis in omnibus  
aliis, & patiens in aduersis. 3. tunc animam  
tuam ponere pro ouibus, quando contra  
lupos, mundum, & dæmonem oues tuas  
intellectum, voluntatem, sensus cohibes,  
ne in peccatum consentiant, & potius vis  
mori, quam vt peccatum mortale per vi-  
sum v. c. vel tactum committatur.

2. *Mercenarius autem, & qui non est pastor,  
viso lupo dimittit oues & fugit.* Considera,  
tunc te esse mercenarium, quando in actio-  
nibus tuis bonis, vt concionibus, lectioni-  
bus,



bus, frequentatione templi, quæris mercedem temporalem, vel gloriam, nō Dei, sed mundi, vt magnificas scilicet. 2. quando lupus veniente, id est, tentatione carnis vel mundi orta, non resistis, non castigas vel mortificas carnē ieiunijs, cilicijs, vigilijs, sed fugis omnem pœnitentiam, & sinis oues tuas vinci à malo tentationis & deuorari 3. cogita te amittere nomen pastoris & Domini, quia oues potius dominantur tibi, quam tu illis *Qui enim peccat, seruus est peccati*; ac proinde & carnis suæ, à qua per peccatum spiritus vincitur. Ioan. 8.  
Gal. 5.

*Ego cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili, quas oportet me adducere.* Considera bonorum pastorum esse cognoscere & diligere oues, cognosciq; & diligere ab ouibus. itaq; bonum te tui pastorem fore, si bene cognoueris te ipsum tuarumq; virium imbecillitatē, imperfectiones & lapsus quotidianos, in eosq; per examē inquisieris: tūc autē te agnosci & diligere ab ouib. tuis, id est, potentijs animi & corporis, quādo rationi & voluntati subiectæ erunt. 2. cogita, si bonus pastor esse velis, vt studeas et ad ouile Ecclesiæ Catholicæ adducere hæreticos, & infideles doctrina, & exemplo vitæ sanctæ.

D DO.



90 MEDITATIONES IN  
DOMIN. III. POST PASCHA

*Iubila-  
re.*

*Modicum & non videbitis me. Ioan. 16.*

1. **D**ixit Iesus discipulis. *Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me.* Considera Dominum hic prædicere passionem suam, qua Apostoli fugerunt; & resurrectione, post quam iterum eum viderunt: solet enim Dominus ideo tristitia prædicere, ut iacula præuisa minus feriant, & mox addere læta, ne tentationi succumbant. 2. bonis & pijs primum nunciari & evenire tristitia, postea autem læta & iucunda: contra verò malis & mundanis, prius iucunda, tum tristitia. peccatores enim consolationem suam quærentes in hoc mundo, post ardebunt ignibus sempiternis. pijs verò qui hic persecutionem patiuntur, postea gaudebunt in cælo in æternum.

2. *Cognoscens Iesus, quod vellent interrogare, quid sibi vellet. Modicum, &c. Amen, inquit, dico vobis, plorabitis, & flebitis vos, mundum autem gaudebit, sed tristitia vestra vertetur in gaudium, sicut mulieris tristitia, post editum partum. Considera Domini bonitatem nos prævenientis, quando bonam habemus voluntatem aliquid petendi. 2. officium pijs hominis in hac lacrymarum valle, dum Dominum non vide.*



videmus, esse, flere & plorare, potius, quam gaudere, idq; triplici de causa. 1. ppter peccata, quia illis Christum fugamus & crucifigimus, 2. propter tentationes continuas à carne, mundo, dæmone. 3. ob passionem Christi, dū de ea meditamur. Omnes enim hæ tristitiæ vertuntur in gaudium, quia salutem stabilē operantur, teste Apostolo. *2. Cor. 7.* modicam esse tristitiam nostram, quia tēpus huius vitæ ita breue est vt vmbra, vaporis, & momento cōparetur in Scriptura.

ITERVM videbo vos, & gaudebit cor vestrū, & gaudiū vestrū nemo tollet à vobis. Considera pro breui & momentanea tribulatione, si patienter eam sustineas, te recepturū à Deo, non consolationem solum & gaudium, sed etiam regnum æternū. nam dicit Paulus. *1. Cor. 4.* Id quod in presenti est momentaneum & leue tribulationis nostræ supra modum in æternum gloria pondus operatur in nobis. 2. & cōtrariū mundū pro breui & momentanea consolatione, quā habet in peccato mortali, excruciantū pœnis æternis, vnde Iob *Iob. 22.* ait. *Luc. 15.* Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Et Abraham ad epuloem. *Fili recordare, quia recepisti bona in vita, & Lazarus similiter mala. nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.*

D      DO.



52 MEDITATIONES IN  
DOMIN. IV. POST PASCHA.

Cant.  
10.

Vado ad eum qui misit me.

Ioan 16.

1. **D**IXIT IESVS *discipulis. Expedi vobis, ut ego vadam ad Patrem. Si enim non abiero, paracletus non veniet ad vos. Confidete Christum prænunciare gloriosam suam ascensionem in cœlum, & spiritus sancti, post eam, missionē, (nempe in visibili forma, & pleniore abundantia) ut disceres, sicut ille post passionem glorioso corpore & anima ascendit in cœlum æterna felicitate cum sanctis ibi fruiturus, sic te, si sanctè vixeris, & pro Christo multa passus fueris, corpore & anima assumendum in cœlum. 2. ut accipias magnam gratiam Spiritus sancti, debere te animum abstrahere à lacte materno, hoc est consolationibus spiritualibus, quas solet Deus iniūto conversionis tyroni concedere, & parare te ad desolationum crucem ferendam. ideo enim Christus discipulis carnalem præsentiam suam subtraxit, ut Spiritus sancti gratia, qua cum gaudio etiam dura ferrent, fruerentur.*

Spiri-



IN

CHA.

vobis,  
non ab-  
confide-  
in suam  
sancti,  
sili for-  
sceres,  
corpore  
felicis  
si san-  
us fue-  
in cœ-  
Spiri-  
here à  
us spi-  
onuer-  
ad de-  
enim  
ntiam  
ratia,  
fruc-  
Spiri-

DOMIN. TOTIYS ANNI. 59

*Spiritus sanctus arguet mundum de peccato, iustitia & iudicio.* Considera, hoc fuisse signum aduentus Spiritus sancti in Apostolos, quod cum ante timidi essent, & ad vocem ancillæ cū Petro terrentur, metu omni remoto Christum prædicarint, & mundum, id est, malos homines audacter arguerint: Primo de peccatis, quod cōverti nollent. Secundo de iustitia, quod crederent quidem, sed vitam non agerēt sanctam & irreprehensibilem, hoc est, verè iustam. tertio de iudicio, quia nulla re facilius peccant homines, quam temerè iudicando de aliis. Vnde Christus. *Nolite iudicare & non iudicabimini.* Cogita in te quod fore Spiritum Dei, si mundum de his argueris.

*Adhuc multa habeo dicere vobis, sed non potestis portare modo. Cum autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Considera Dei bonitatem, non plura nobis imponentis, quam ferre possimus, & ad captum omnium se accommodantis: quod non facit caro & mundus, plura sæpe exigens à suis, quam portare queant. 2 cogita, quāuis multum nobis profecisse sæpe videamur, tamen multa adhuc deesse. 3. quanti te faciat Christus, quod non so-

D 3 lura



34 MEDITATIONES IN

lum seipsum totum, id est, corpus, animam & sanguinem, sed etiam spiritum sanctum suum promittat, mansurum tecum in æternum, ne erres, vel labaris.

*Vocem  
Iucund.*

DOMIN. V. POST PASCHA.

*Orandum esse Patrem. Ioan. 16.*

**A.** **I**ESVS dixit discipulis (*Amen, amen dico vobis, si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.*) Considera, quanto opere Christus exoptet colloquiū hominis spirituale, quod fit per orationem, sic ut & præmiū promittat cū maxima asseueratione, nempe se daturum quicquid petitur. Longe alius est mos Principum huius seculi, qui ad colloquium suum non solum alios non invitant, sed neminem ad illud admittunt, nisi diuites, & quidē ab aliis multis rogati. Argue & tuam cæcitatē, quod pluris facias sæpe colloquium cum Principe terreno, quam cum cœlesti.

**Q.** *Petite & accipietis, ut gaudium vestrum sit plenum.* Considera hinc colligi, quid petendum sit tibi à Deo, nempe vnde haurire possis gaudium plenum & perfectum. cum ergo gaudium perfectum & solidum nō sit in bonis huius mundi, diuitiis, honoribus,  
VOLU:



DOMINIC. TOTIVS ANNI. 55

voluptatibus aliisq; caducis rebus & temporalibus utiq; petenda non sunt, sed tantum bona æterna, hoc est, salus nostra, & quæ ad illa nos deducunt, vt Dei gratia, solide virtutes, humilitas, caritas, paciëntia, &c. aliaq; excellētia dona: dedecore enim afficit magnum Principem, qui exigua dona ab eo postulat.

*In illo die in nomine meo petetis: & non 3.  
dico vobis quia ego rogabo Patrem de vobis;  
ipse enim Pater amat vos, quia vos me amatis.* Considera optimam rationem orandi esse petere à Patre cœlesti aliquid nomine Christi, vel per passionem & merita Christi, quia id indicat his verbis, Patri perinde esse, ac si Christus ipse pro nobis oraret. 2. magno solatio nobis esse debere, quod discipuli Christi tam cari sint Patri cœlesti, vt nec opus habeāt oratione Christi in cœlo; licet Christus, vt homo, etiam nunc ibi interpellat pro nobis, vt docet nō semel Apostolus Rom. 8. & Heb. 7. & 9 imò S Ioan. 1. epist. c. 2. vocat eum aduocatum nostrum.

IN FESTO ASCENSIONIS.

*Marc. 16.*

*Christus recubentibus undecim discipulis ex i.  
probrat incredulitatē, mittit in totū orbem*

D A ad



56 MEDITATIONES IN

*ad prædicandum, promittit credentes signa facturos.* Considera clementiam Christi toties quouis tempore, loco, & occasione se videndum exhibentis, vt crederent resurrexisse; dicitur enim duodecies apparuisse variis, & nunc in mēsa, vt discas quouis loco si inuocetur, nobis eum adesse. 2. nota Christum exprobrare incredulitatē, vt discas acri reprehensione dignos, qui vacillant in fide, quia fides est fundamentum totius ædificij Spiritualis, quo nutante omnia vacillant. 3. expende, apostolici spiritus & officij esse, non vno loco, sed vbique Euangelium prædicare: fidelium autem esse signa facere, id est, dæmonia eiicere, linguis nouis loqui, serpētes tollere, agris manus imponere, hoc est, tentationes vincere, spiritalia loqui, detractores arguere, à peccatis alios auocare.

2. *Dominus Iesus assumptus est in caelum, & sedet à dextris Dei.* Considera primo, quantā affabilitate in monte oliueti iam congregatos Apostolos, & imprimis matrem Christus sit allocutus, & benedixerit; illi autem flentes ad eius pedes prociderint, eos osculantes. 2. quomodo eleuatis manibus sensim à terra eleuatus sit, hilari & sereno vultu, corona regali ornatus, sancto-



rum Patrum è limbo choro stipatus, cantantibus vndique angelis, Apostolisque in genua prostratis benedixerit. quomodo apertis caelis mox innumera turba angelorū obuia ei processerit, & ad thronum cœlestis Patris adduxerit. Vide, vt Pater filium se reuerenter inclinantem amanter complexus sit, & ad dextram suam collocarit. vt discas, tecum idem agendum, si constanter in vita pia & sancta perstiteris.

*Duo viri in vestibus albis tunc dixerunt A-3. postolis. Viri Galilaei, Hic Iesus, qui assumptus est à vobis in caelum, sic veniet, sicut vidistis eum euntem in caelum.* Considera, quomodo Deus per angelos illos statim lætis miscet tristitia, vt sicut pij confirmantur in vita sancta, quando cogitant de hac Christi ascensione & gloria, ita mali deterreantur à vita praua, quando audiunt eum cum eadem maiestate non benignum, sed terribilem rediturum ad extremum iudicium.

DOMINICA POST ASCENSIONEM. Exa<sup>o</sup> di.

*Cum venerit Paracletus. Ioan. 15. 16.*

**D**ixit Iesus discipulis: (Cum venerit paracletus Spiritus veritatis qui à Patre procedit)



38 MEDITATIONES. IN

*cedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia initio mecum estis.*) Considera inde constare, te vel alium Spiritum Dei habere, si, nempe, sit paracletus, id est, cōsolator afflictorū, verboq; & opere misericordiæ viscera miseris ostendat. 2. si veritatis ita sit amans, vt etiā mendacia iocosa & officiosa, omnesq; fictiones horreat, non aliud corde, aliud ore loquatur, omnis doli expers. 3. si exemplo Apostolorū posito omni metu, vbiq; veritatem fidei à S. Patrib. acceptā, pro talēto accepto, dum occasio tulerit, cū zelo tueatur, nec patiatur iniuriosum aliquid dici in Christū, Sāctos, Ecclesiā & Christi Vicariū.

2. *Hac locutus sum vobis vt non scandalizemini. Absq; Synagogis facient vos.* Considera summam sollicitudinem & amorē Christi in discipulos, tam sedulo & crebro eos monentis de futuris persecutionibus, & odio summo Iudæorum in eos secuturo, ne idē vacillarent in fide, vel cogitarent se à Christo deceptos. Vt discas, si quādo alios vel docebis, vel eorū curam geres, omnem laborē impendere, ne à fide, vel à sancta vita inchoata deficiant. monere et. ā, propriū piorū esse multa pati, idq; Deū permittere, vt maior illis cedat coronā in cœlo.

*Veni*



DÖMIN. TOTIVS ANNI. 59

*Venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur obsequium se prestare Deo. Considera, sicut infideles & hæretici putat se rem gratissimam Deo facere, si occidant Catholicos, cum faciant ingratiſſimam. ita te velle tendere in contrarium, & petere gratiam à Deo ita proficiendi, ut possis aliquando sanguinem data occasione pro fide Catholica profundere, quod constat sacrificiū Deo esse gratissimū, ut Christus in hoc ipso sermone Ioā. 15. declarat dicēs. Maiorē caritatē nemo habet, quam si animam ponat pro amicis suis.*

IN FESTO PENTECOSTES.

*De missione Spiritus sancti. Act. 2.*

**D**VM compleverunt, ait S. Lucas, dies Pentecostes erant omnes (Apostoli, B. Virgo & alij) pariter in eod loco. Considera, quā ardentes fuerint die quinquagesimo, B. Virginis, & reliquorū 120. preces, imò Christi in cælo, qui promiserat se rogaturum pro illis; quanta ipsius Spiritus sancti, qui est ipse amor, propensio, ut totū se effunderet plenocopiæ cornu in illos innumerabilib. gemitibus à mane vsq; ad nonā horā interpellātes. 2. quomodo tandem patefactis cæli

cata-



cataractis se cum ingenti vento, tonitru, imbre, luce igneque effuderit, omnesque mox incredibili gaudio gestierint, & igne interno accensi in Dei laudes eruperint. 3. cogita ideo Spiritum sanctum non potuisse diu ab illis abesse, quia pariter erant in eodem loco non solum, sed cor vnum & animam vnā habebāt: Spiritus sanctus enim vti est amor & vnio Patris & filij, ita non potest non amare vnionem.

2. *Factus est repente de caelo sonus, tanquam aduenientis spiritus vehementis. Et repleuit totam domum, & ibi erant sedentes.* Considera proprium esse Spiritus sancti nō tardē, sed repentiē omnia facere. repentiē creat animas, vocauit Apostolos, cōuertit Paulum, latronem, S. Antonium. *Nescit tarda molimina,* ait Ambrosius. *Spiritus sancti gratia.* 2. vehementer cum sono agere. Post ventū magnum solet sequi, tonitru, fulgur, pluuia. Sic Spiritus sanctus mouet corda ad contritionem, lacrymas, clamorem, pœnitentiā. 3. totam animam, intellectum, voluntatem, potentias cæteras replet, quando vacuæ sunt aliis terrenis desideriis. 4. requiescit super humilem, & quietum Isai. vlt. habentem pacem in conscientia sua, & quasi sedentem.

In c. 1.  
L. 15.

Et



*Et apparuerunt dispersit & lingua super sin. 3.*  
*gulos tanquam ignis, & ceperunt loqui va-*  
*riis linguis. Considera, sicut quando domus*  
*intus ardet, ignis erumpit per fenestras &*  
*tectum, sic, quando cor Apostolorum erat*  
*accensū Spiritu sancto, ignis erupit per ca-*  
*pita eorum; quia Spiritus sanctus, sicut nec*  
*ignis, potest esse otiosus. vt discas, non ha-*  
*bete te Spiritum sanctum, nisi quando bo-*  
*nis & sanctis propositis animi, respondent*  
*opera. Bonus enim homo de thesauro cor-*  
*dis sui profert bona ait Christus Luc. 6. Et*  
*ideo Apostoli igne illo accensi, nō amplius*  
*rimuerunt, sed egressi cœnaculo palam o-*  
*mnibus Christum annunciarunt, ita vt pu-*  
*tarentur ebrij.*

## II. MEDITATIO DE EVANG.

*Si quis diligit me. Ioan. 14.*

**C**HRISTVS dixit discipulis. *Si quis diligit*  
*me, sermonem meum seruabit: & Pater*  
*meus diliget eum, & ad eum veniemus, &*  
*mansionem apud eum faciemus. Considera*  
*miram caritatē Christi, imo totius S. Tri-*  
*nitatis erga nos, licet peccatores & indi-*  
*gnos; quod pro exigua dilectione nostra,*  
*vicissim velit nos diligere, ad nos quasi cœ-*  
*lo re-*



82 MEDITATIONES IN

lo relicto venire, nobiscu colloqui, cōuer-  
fari; & manere, modo à peccato mortali,  
quo solo repellitur, abstineamus. 2. incre-  
dibilē cæcitatē nostrā, quod tam facile ser-  
monē & mandata eius, cū grauiā non sint  
teste S. Ioāne, præuaricemur, & calce quasi  
S. Trinitatē ex domo cordis nostri eiicia-  
mus. cum nō solū mandata, sed etiā consi-  
lia omnia Christi præstare deberemus, vt  
gratiam tanto beneficio rependeremus.

1. Io. 5.

2. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vo-  
bis. Non quomodo mundus dat, ego do vobis.*  
Considera pacem nato Christo nunciatā  
ab angelis, nunc verò testamenti loco eam  
Christū relinquere discipulis, & post resur-  
rectionē eandē illis congregatis precatū.  
q̄a pax est genuinus effectus caritatis Dei  
& proximi, ex qua tota lex pendet & pro-  
pheta. 2. Christum relinquere pacem, non  
mundi, neq; carnis, sed Dei & Spiritus, quæ  
triplex est. Vna cum Deo, quando cauemus  
peccata, quæ sola faciunt nos Deo inimi-  
cos. Altera, nobiscum, quando caro obedit  
rationi & spiritui, & conscientia est quie-  
ta. Tertia cū proximo, quando iniurias no-  
bis factas ignoscimus. eiq; facimus, q̄ no-  
bis factū vellemus. Mūdi pax est cōraria

3. *Venit Princeps mundi huius, & in me non  
habet*



DOMIN. TOTIVS ANNI. 63

*habet quicquam. Sed ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Considera, principē mundi, id est diabolum, qui est princeps omnium malorum nihil potuisse contra Christum, quia nullum in eo peccatū fuit, ut discas eundem minus iuris habere in te, quo purior à peccato fueris. 2. nota Christum loqui de mandato quod habuit redimendi nos per passionem: tantus enim amor fuit in illo obedientiæ, ut non solum voluerit pati pro nobis ex caritate, sed etiam optarit id sibi mandari. Vnde S. Bernard. ait, eum perdidisse vitā, ne perderet obedientiam. *Ad mil. templi c. 13.*

FERIA II. POST PENTECOST.

*Sic Deus dilexit mundum. Ioan. 3.*

**I**esus dixit Nicodemo. (*Sic Deus dilexit mundum, ut filium suum unigenitum daret, ut omnis qui credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam.*) Considera non vulgarem, sed ineffabilē fuisse dilectionē Patris erga nos, quod dederit nobis filiū suū. primò enim hoc ipso dedit donum infinitū, & quo maius dare nō potuit, quia dedit Deū, imò seipsum 2. ita dedit ut nō tantū homo haberet Deū; sicut angeli sancti habent Deū, sed



sed etiam homo sit factus Deus, omnipotens, sapientiæ & scientiæ infinitæ in Christo. 3. dedit eum mundo, id est, hominibus peccatoribus, suis inimicis. 4. dedit illis, ut pœnas quas luere debebant pro peccatis, in se susceperit, ut paupertatem, famem, sitim, flagella, mortem turpissimam. Quomodo autem tu tantum amorem rependes?

2. *Non misit Deus filium suum ut iudicet mundum, sed ut saluetur mundus per ipsum.* Considera immensam Dei clementiam & bonitatem, ut cum omnes homines à principio mundi nascantur in ira Dei, æterna damnatione digni, & inimici Dei, tamen ne unum quidem velit perire, & iudicari, id est, damnari, sed omnes cupiat saluari, & reuera primum autorem peccati Adamum protoplastum à salute non exclusit.

3. *Lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras, quam lucem. erant enim opera eorum mala.* Considera, quod tam multi homines in mundo è tenebris, id est, à peccatis infidelitatis, & aliis non emergant ad lucem, id est, credant in Christum, vel Catholicam fidem suscipiant, non ei Dei voluntate accidere, quasi aliquos re-

pro  
no  
pfo  
am  
fid  
nit  
se a  
du  
F  
D  
tra  
se  
uil  
tat  
sci  
qu  
en  
ess  
res  
ne  
cè  
ci  
m



S IN

DOMIN. TOTIVS ANNI. 65

probarit, vel sufficientia ad salutem auxilia non dederit, sed ex peruersa voluntate ipsorum. quia amant magis vel hæresin suam, vel pristinum viuendi modum. 2. considera, hominem esse causam sæpe impœnitentiæ, vt non resipiscat, quando tam diu se assuefecit malis operibus, vt callum obduxisse videatur.

FERIA. III. PENTECOSTES.

Ego sum ostium. Ioan. 10.

**D**IXIT Iesus discipulis. *Qui non intrat per ostium, fur est & latro: qui autem intrat, pastor est ouium.* Considera, ostium esse Christum eiusque doctrinam & vitam. ouile esse Ecclesiam, religionem, vel sodalitatē aliam piā, oues esse subditos vel discipulos, qui ab alio reguntur vel docentur, qui debent esse simplices, humiles, obediētes, & amore loci coniuñcti. Pastorem esse superiorem præfectum, magistrū. Fures & latrones, mundum, carnem & dæmonem, qui per ostium non intrant, quia docēt cōtraria doctrinæ, & vitæ Christi, vt occidāt animā & trahāt ad æternā perditionē.

*Pastori ostiarius aperit, & oues vocem eius audiunt, & proprias oues vocat nominatim,*

**E** *& edu-*



*Et educit eas, ante eas vadit, Et oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius, alienum autem fugiunt, quia non norunt vocem. Considera, quæ sint proprietates boni pastoris. 1. vt ostiarius, id est, Spiritus sanctus ei viam aperiat, non caro, non gloria vel utilitas propria. 2. vt subditi ei obediant 3. vt morietur eas extrinsecus & intrinsecus, audiendo confessiones, ad se vocet, & alloquatur. 4. vt educat ad pascua concionum, frequentationis sacramentorum. 5. vt exemplo, vita sancta præeat. 6. vt eius doctrinam subditi probent. 7. detestentur contrariam hæreticorum, mundi, dæmonis.*

*Ego sum ostium, per me, si quis introierit, 3. saluabitur, Et ingredietur Et egredietur, Et pascua inueniet. Fur non venit, nisi vt furetur, Et perdat. Ego veni vt vitam habeant, Et abundantius habeant. Considera, tunc te fore optimam ouem in ouili, si doctrinam, vitam & passionem Christi sedulo expendas, & in omnib. imiteris, siue n. per eam ingrediaris in ouile, vt quiescas, & orationi ac contemplationi diuinarum rerum vaces cum Magdalena, siue egrediaris cum Martha ad iuuandum proximum, vberima pascua inuenies, quibus reficias spiritum. 2. si autem aliunde, i. obsequendo suggestionibus, demo-*



nis, carnis, sociorum malorum irrepas in  
 ouile, spoliaberis omnibus donis, & grati-  
 is, & insuper in anima perderis, quia illi,  
 sunt fures & latrones.

INFESTO S. TRINITATIS.

De Nicodemo & regeneratione.

IOAN. 3.

**N**ICODEMVS princeps Iudaorum cognitis &  
 miraculis Christi, nocte eum adiit, instruit  
 ab eo desiderans. Considera, bona fortunæ  
 non esse magnificenda, cum hunc Nicode-  
 mum nobilitas generis, & doctrinæ præ-  
 stantia (erat enim Phariseus) impedi-  
 erint, quo minus palam auderet sequi Christum.  
 2. nota sapientiam Christi, neq; ruditatem  
 eius (quia ex signis factis collegit Christum  
 tantum esse prophetam,) neq; timiditatem  
 statim reprehendentis, sed, post detectam  
 maiorem ignorantiam, cum dixit: *Tu es  
 magister in Israel, & hac ignorans?*

*Dixit ei Iesus. (Nisi quis renatus fuerit ex  
 aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in  
 regnum Dei.) Quod natum est in carne caro  
 est; & quod natum est ex spiritu spiritus est.*  
 Considera, Christum præcipua fidei capita  
 hic tradere illi ut de baptismo, S. Trinitat.  
 (nominat n. patrem, filium, & Spiritum sanctum)

E 2 de pœ-



de pœnitentia, de incarnatione, de signo crucis & passione, de ascensione in cœlum, de vita æterna. 2. considera te, sicut dum esses infans, non potuisti saluus fieri, nisi per baptismum renascereris ex aquæ elementaris ablutione, & gratia Spiritus sancti; sic neque nunc, postquã relapsus es vel in vnum peccatum mortale, posse te venire ad regnum Dei, nisi renascaris & renoueris per pœnitentiam ex aqua lachrimarum, i. contritionis, & absolutionis sacerdotis, qua confertur gratia Spiritus sancti. Deinde nisi secundum spiritum, & non secundũ carnẽ deinceps vitam instituas. *Quod enim est ex spiritu, spiritus est. Si spiritu viuimus, ait Apostolus, spiritu & ambulemus.*

Gal. 5.

*Sicut Moses exaltauit serpentem in deserto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in ipsum non pereat.* Considera Christum loqui de sua crucifixione futura: nihil enim sapius vel clarius præfiguratum vel prædictum à prophetis fuit, quã Christi passio. & ideo Eunuchus reginæ Candacis intellecto loco Isaia de passione, mox conuersus est, & à Philippo baptizatus. 2. expende, cur Christus in extrema cœna, Eucharistiam etiam confici voluerit in cõmemorationẽ suæ passionis, nisi ut discas,

Act. 8.

Is. 53.

nihil



DOMIN. TOTIVS ANNI. 69

nihil æquè ad conuersionem peccatoris, & vitam sanctam instituendam, ad pœnitentiam, ad gratias continenter Deo agendas posse mouere, ac meditationem crucifixionis Christi. Nec mirum, quia per illam omnes prophetiæ impletæ sunt, & ideo dixit. *Consummatum est.* 3. considera, *Ioan. 12.* vocem oportet. nec enim tantum oportuit, quia prædictum fuit, sed quia ab æterno ita filius Dei decreuerat, & Pater vt fieret, ex merito amore in nos, mādauerat. O incredibile S. Trinitatis erga nos indignos amorē.

MEDITATIO II.

*De mysterio S. Trinitatis.*

CONSIDERA cur Deus mysterium S. Trinitatis, & alia nonnulla, vt Incarnationis, Eucharistiæ, resurrectionis, noluerit à nobis intelligi, imo etiam rebus creatis naturales quasdā indiderit proprietates, quæ nullo ingenii humani studio capi in hac vita queāt. Nimirū, ne si omnia caperemus, animo plus æquo extolleremur; & exēplo Luciferi, cū suis, nimiū de scientia elati, in barathrū rueremus. vt essemus humiles, & ignorantia cōfiteremur; vt cognosceremus nos ipsos, vt captiuādo intellectū plus subiiceremur Deo, soli illi tribu-

E s      endo



70 MEDITATIONES IN

endo scientiæ, omniūq; rerū gloriā, illaq; subiectione, credēdo illi plus mereremur, sicut meruit Abraham: qui quo minus scire studuit, quid præciperetur, vel cur, hoc gratior Deo effectus est.

Hebr.  
22.

2. Considera quid credendum sit de S. Trinitatis mysterio, nempe tres esse in diuinis personas, re inter se distinctas. Patrem, filiū & Spiritū sanctū; vnā vero numero naturā Deitatis, ac similiter vnā omnipotentiam, aternitatem, immutabilitatē, immensitatem, maiestatem & gloriam, intellectum, voluntatem, sapientiam, bonitatem, & cætera, quæ in Symbolo Athanasii habentur. Quare tota Trinitas potest dici, Vnus Deus in natura, omnipotentia, &c. & Trinus in personis. Vnde discis, quāti faciēda sit honorū societas, nam Deus cū natura vnus sit, tamē societate habuit plurium. 2. societatem eo perfectiorem esse, quo maior inter socios est vnio. Vnde

Ar. 4.

in prima societate Christianorū post acceptū Spiritum sanctū tanta erat vnio, vt omniū esset cor vnū & anima vna. At in Trinitate, nō est solū intellectus, volūtas, potētia, sapiētia, bonitas, sed etiā natura vna.

3. Considera omnes homines creatos esse ad imaginē & similitudinē Dei, & S. Trinitatis

tatis



DOMIN. TOTIVS ANNI. 71

ratis, quia in omnibus vna est anima spiri-  
ritualis, & tres spirituales potentia, intel-  
lectus, voluntas, & memoria, imò in o-  
mnib. creaturis vestigium relucet S. Tri-  
nit. In omnib. enim est aliqua natura, vis  
vel potentia, ac operatio. Et quod eo plus  
est & mirabilius S. Trinitas existit, in o-  
mnib. creaturis etiam vilissimis secundū  
essentiam, praesentiam & potentia, & nisi <sup>Act. 17</sup>  
esset, omnes in nihilum reciderent. *in Deo*  
*enim vivimus, movemur & sumus*, vt dicit  
Apostolus. Quod certe non facit, nisi quia  
intimo amore omnes creaturas, quatenus  
bonum aliquod in illis est, prosequitur.  
Cur ergo vicissim non amabimus, non cō-  
plectemur creatorem S. Trinitatem?

INFESTO CORPORIS  
CHRISTI.

Ioan. 6.

**D**IXIT Iesus turbis. *Caro mea vere est ci-  
bus, & sanguis meus vere est potus.* Con-  
sidera ineffabilem filii Dei amorem erga  
hominem. primò factus est homo, vt in v-  
nam hipostasim se illi vniret. Deinde vt  
singulis hominibus esset arctissimè

E 4 son.



7. MEDITATIONES IN

coniunctus, excogitavit, carnem suam dare nobis in cibū, & sanguinē in potū. quid autem coniunctus tibi potest esse cibo, cū in substantiam tuam mutetur? 2. nobilitatem huius cibi, nec enim in Eucharistia datur nobis panis de furno, nec panis angelorum manna, sed verè caro Christi, imo totus Christus cū carne, sanguine, anima, diuinitate, & immortalis, vti nunc est in cœlo 3. delicias eius. nam si manna mutabatur sapore iuxta cuiusque voluntatem, quid erit in hoc, cuius manna fuit umbra? In Christo fuere omnes thesauri sapientiæ, ergo & deliciarum.

2. *Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in illo. Cōsidera eximium factæ communionis fructū, nempe, vt sicut palmes viti, & mēbra corporis capiti, sic homo adhæreat Christo, & ab eo, sicut mēbra à capite, vitam, nutrimentum, motum & alia auxilia accipiat; imo vt sit velut sponsia missa in magnum vas aquæ, vt enim illa intus & extra abūdat aqua; ita qui Christi sanguinē bibit intus à Deo repletur, & foris à Deo protegitur, quia in Deo manet, & Deus in ipso. Ac talis homo meritò nihil cogitare deberet nisi Deū, sicut qui in medio mari est, nihil videt vndique nisi mare.* *Non*



DOMIN. TOTIVS ANNI 73

*Non sicut manducauerunt patres vestri 3.  
manna, & mortui sunt. Qui manducat hunc  
panem, viuet in aeternum.* Considera hic mo-  
dum, quoad dignam communionem pa-  
rare te debeas. nempe, vt neq; cum nau-  
sea, neq; cum murmure, neq; ex consuetu-  
dine, neq; coactus ad illam accedas, hæc n.  
in veterib. sumentibus manna arguuntur,  
sed magno desiderio & fame imbibendi  
Spiritus Christi. Quo enim maiori cum  
fame & siti accesseris, hoc melius sapiet ci-  
bus. cibus aut, quo magis sapit, hoc magis  
nutrit. 2. Considera, nullã aliã causam ari-  
ditatis tuæ, & parui profectus in virtute ef-  
se, quam quod non accedas cū hac sancta  
fame; qui n. dignè accedit, viuet in æter-  
num, i. semper proficiet, & melior euadet.

DOMINICA I. POST TRINIT.

*De diuite & Lazaro. Luc. 16.*

**D**IXIT Iesus turbis. *Diues splendide viuens 1.  
& nihil mendico conferens, mortuus est,  
& sepultus in inferno.* Considera diuiti nul-  
lum nomen dari, quia impiorum nomina  
delentur de libro vitæ; & nulla eorum post  
mortem etiam in mundo remanet memo-  
ria 2. tribus vitiis eum deditum fuisse, su-  
perbiæ, quia bysso indutus, intemperantiæ;

**E** s quia



quia splendidè epulabatur quotidie; & auaritiæ, quia nec micam dedit pauperib. vt discas cauere pretiosas vestes in quocunq; statu, lautitiam in cibo, & crebram ebrietatem, deinde tenacitatem in dando aliquid egenis, vel aliis operib. misericordiæ præstandis, ne periculū incurras damnationis. 3. fuisse sepultū in inferno, vt intelligas, infernum esse locum sub terra profundissimum, plenū tenebrarū & horrois, ex quo nulla sit redemptio, vel reditus.

2. *Mendicus nomine Lazarus, ulceribus plenus ne micam quidem à diuite exorans, post mortem ab angelis delatus est in sinum Abraha.* Considera, nomen piorum mendicorum quos mundus non agnoscit, apud Deum in perpetua vigere memoria, sicut nunc viget Lazari in Ecclesia per 1500. annos. 2. considera, Lazarum hunc non ob miserabilem hanc inopiā & miseriam saluatū, sed ob patientiam in ea toleranda. vnde discas amare potius paupertatem, quam diuitias, & paupertatem quidē voluntariam, quia pauperum spiritu Christus ipse dicit esse regnū cœlorū. Item vilitatem vestitus, vulgares cibos, ieiunia, aliasq; afflictiones carnis, sanitatē nō pluris facere, quā agritudinem; quia hulcera plus profuere saluti
- Laza-

Mat. 5



DOMIN. TOTIVS ANNI. 75

Lazari, quam sanitas diuiti.

*Diuiti ex inferno imploranti opem Abraham<sup>2.</sup> respondit. Fili recordare, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus mala. nunc autem hic consolatur, tu vero cruciaris.* Considera, sicut nullū bonū irremuneratū manet apud Deū, sic nullū malū manere impunitū, siue in hac vita, siue in futura. Deus n. est iustus iudex, reddens vnicuiq; secūdū opera sua, vt sæpe Scriptura loquitur. Quo sēsu B. Paul<sup>o</sup> dicit, quæ homo hic seminat; alibi messurum. 2. neminem posse simul hic lætari, & alibi, vt clare hic testatur Abraham. nam diues hic lætatus, alibi cruciatur; cōtra Lazarus hic cruciatus, alibi consolatio-  
*Gen. 4.  
Ioan. 5.  
Gal. 6.  
Luc. 6.*

ne vera fruitur. Vnde & Dominus dixit. *Va vobis diuitibus, qui habetis consolationem vestram. Va vobis qui ridetis, quia lugebitis.*

DOMIN. II. POST TRINIT.

*De cœna magna. Luc. 14.*

**D**IXIT Iesus discipulis. *Homo quidam ad cœnam magnam per seruū inuitauit multos.* Considera, hominem illum esse Christum Deum & hominem, cœnā verò gloriā cœlestem. vt enim cœna datur iis qui die laborant, sic gloria illa dabitur illis, qui strenuè in hac vita vsq; ad mortē pro nomine Christi sudarunt. Vnde sicut operarii post-



post laborem anhelant ad cœnam, ita nos ad illam anhelare debere. 2. dici magnam, primo ob omnium rerum copiam, delicias & satietatē ibi futuram. 2. ob conuiuiarum multitudinem, & varietatem, id est omnes angelos & Sanctos, prophetas, Apostolos, martyres. 3. ob durationem perpetuam in omni securitate. 4. ob societatis iucunditatem; erunt n. omnes coniunctissimi, lætissimiq; anima, & corpore splendidissimi.

2. *Et cœperunt simul omnes se excusare.* Considera triplex hominum genus se excusare. Primi sunt euentes villas, id est, qui magni, potentes, docti videri volunt. Secundi euentes iuga bouum quinque, qui plus æquo opibus congerendis, vel eruditione comparanda se occupant. Tertii, ducentes vxorem, qui nimium dediti sunt carnis voluptatib. ebrietati, ludis, suo iudicio & propria voluntati. 2. considera felices esse religiosos, qui per tria vota hæc impedimenta tria facile remouere queunt. primū per obedientiam, secundum per paupertatem, tertium per castitatem.

3. *Tunc iratus paterfamilias iussit seruum ex plateis, viis, & sepibus quoscunque pauperes, debiles, cœcos & claudos conuocare, imò cogere, vt impleretur domus tota.* Considera  
sæpe



DOMIN. TOTIVS ANNI. 77

sæpe valde periculosum esse inspirationi diuinæ, qua aliquando inuitamur ad vitã piã & sanctã, non satisfacere, sed se excusare, quia verendum est, ne alius accipiat coronã nostrã, nobis exclusis. 2. considera regni cœlestis conuiuio aptos esse *pauperes*, qui vel nihil proprium habent, vt religiosi, vel diuitias contemnunt, victu & amictu contenti, deinde *debiles*, qui suis virib. non fidunt, sed gratiæ Dei. Tum *cæcos*, qui simpliciter credunt, quod Ecclesia, & suo iudicio nõ nitatur. Et *claudos* qui nihil boni se posse facere putant, nisi iuentur baculo diuini auxilii ac denique *qui cogi se sinunt*. i. ex alterius arbitrio & sub obedientia viuunt; qui malunt subesse, quam præesse.

NOTA.

Meditationẽ hanc paucis mutatis posse accommodari ad S. Eucharistiã, quæ cœua est, quia vesperi in cœna à Christo instituta, deinde in fine diei, id est vitæ Christi. Magna est, tum quia loco cibi & porus caro Christi & sanguinis, imo totus Christus Deus & homo manducandus proponitur, omne delectamentum in se habens; tũ quia nemo fidelis ab ea excluditur, & vsque in finem mundi vbiq; celebranda est. Excusant



## 78 MEDITATIONES IN

sant autem se ab hac cœna superbiæ, auaritiæ, & luxuriæ dediti, id est omnes, propter hæc & similia peccata indigni. Admitte intur autem humiles, qui peccata sua cōfitentur, & vitæ emendationem diuinæ auxiliante gratia proponunt.

DOMIN. III. POST TRINIT.

*De oue perdita. Luc. 15.*

1. **P**harisæi & Scriba murmurabant contra Iesum, quod recipere peccatores & manducaret cum illis. Considera summam caritatem Christi, quod nullū peccatorē quantumuis maxima iniuria ab eo affectus sit cōtēnat. deinde ad se per pœnitentiam benigne recipiat: receptum etiam ad mensam suam admittat, & cibo corporis & sanguinis sui, velut carissimū, ac cui intime deinceps velit adhærere, reficiat. 2. cōsidera malitiam Pharisæorum, qui bonitate Dei. & aliorū bono exemplo facti sunt peiores: vt discas ingenium mundi esse, murmurare & detrahare piis, si quid boni agant, eosq; irrisiōibus, aliisque modis impedire.

2. *Quidam oue vna ex centum perdita imponit eam inuentam humeris, & alios ad gratulandum sibi inuitat. Idem facit mulier de drachma vna ex decem perdita & inuenta. Considera*



sidera, 99. oues esse nouem choros angelo-  
rum, quia superant numerum hominum:  
ouem perditam autem esse hominem, quā  
Christus inuentam, quando incarnatus  
est, imposuit humeris, portans iniquitatē  
omnium nostrum. & in cruce expians. Ad-  
de tantam fuisse eius caritatem, vt pro te  
solo perduto paratus fuerit pati. nam Pau-  
lus sic loquitur de eo. *Qui dilexit me, & tra-*  
*didit semetipsum pro me.* 2. Considera muli-  
erem illam esse B. Mariam, quæ accensa fi-  
dei magnæ lucerna, euertit totam domū a-  
nimæ suæ, sic vt nullas habuerit peccati  
sordes, crebrisque precibus pulsans Dei fo-  
res tandem inuenit drachmā perditā, i gra-  
tiā concipiendi Christū, qui hominē ad i-  
maginē & similitudinē Dei formatū & si-  
gnatū, liberaret à puluere peccati. Vnde ar-  
chāgelus dixit. *inuenisti gratiā apud Deum.*

Gal. 2<sup>a</sup>

Luc. 2

*Mulier inuenta drachma ad congratulan-*  
*dum conuocat amicas & vicinas Dico autem*  
*vobis, inquit Iesus, quōd ita gaudium erit co-*  
*ram angelis Dei super vno peccatore poenitenti-*  
*am agente.* Considera B. V. Mariā mox post  
conceptum Christū per mōtana cucurris-  
se ad cognatā Elizabeth, illāq; ei cōgratu-  
latā de benedicto fructu ventris, & inuēta  
drachma 2. cogita, si Christus & mater eius  
volunt



volunt, vt sibi congratulemur, quando aliquis ad fidem vel bonam vitam conuertitur; si angeli gaudent, qui tamen non sunt eiusdē naturæ nobiscū, quanto magis nos debemus gaudere, cum sit noster frater, eiusdē nobiscum naturæ. 3. considera, ex hac parabola sequi nullum prorsus posse desperare. Si enim gaudent omnes angeli in cælo, si gaudet Deus, ita vt cupiat sibi etiam ab alio congratulari, de conuersione peccatoris, tanquam de inuēto thesauro perditō; qua de causa poterit quis vel cogitare de desperatione?

DOMIN. IV. POST TRINIT.

*Estote misericordes. Luc. 6.*

- I. **D**IXIT Iesus discipulis. *Estote misericordes, sicut & pater vester cœlestis misericors est. Nolite iudicare & non iudicabimini. nolite condemnare & non condemnabimini.* Considera, hic monita valde salutaria præscribi pro dilectione proximi. Primum est vt in misericordia exercenda erga proximum imitemur patrē cœlestē, qui omnibus ad se clamantibus aures præbet, gratiā largitur, ignoscit, malos & ingratos præuenit, cōuertit & saluos facit: vt sæpe abūdet gratia, vbi abūdauit delictū. Alterū est, nō iudicare illū  
i. curo.



curiosè in mores eius inquirere, facta eius, cum dubia sunt, in malam partem non interpretari, non malè suspicari, si superior non sis; ne & tu iudicaris à Deo omnium conscio. Tertium, nec condemnare, id est, illum æterna vel temporali pœna dignum dicere, sicut Pharisæi damnabant adultèram, quam Christus absoluit. Luc. 7.

*Dimittite, & dimittetur vobis. Date & dabitur vobis, mensuram bonam, &c. eadem enim mensura remetietur vobis.* Considera  
 4. monitum de dilectione, quod est, ignoscere contra nos delinquenti. Si enim dimiserimus hominibus peccata eorum, inquit alibi, dimittet & nobis pater cœlestis delicta nostra. Quintum, est dare libenter eleemosynam aliis. Diligere enim debemus proximum non verbo, sed opere & veritate ait. B. Ioannes, Et vicissim à Deo dabitur nobis, nempe omne bonum corporale & spirituale; *mensura conferta*, id est, bona fortunæ; *coagitata*, id est, gratiæ: *superfluens*, id est bona gloriæ. Merces enim vitæ æternæ longè excedet bonorum nostrorum operum valorem.

*Quid vides festucam in oculo fratris tui, & arabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? Considera hoc ad perfectionem secundum.*

E cundi.



§2 MEDITATIONES IN

cundi moniti pertinere, vt non occupes te vnquam in inquirendis, notandis, vel arguendis aliorum vitiis & lapsibus, sed per examen quotidianum conscientiae seuerè inquiras & animaduertas in proprios, qui sunt aliquando traves, id est, mortales: quia non de alienis; sed de propriis reddemus rationem in die iudicii.

DOM. V. POST TRIN,

*Christus docet ex naui Petri.*

*Luc. 5.*

1. **T**URBA irruente Christus ascendit in nauim Petri, & in ea pusillum à terra reducta sedens docuit turbam. Considera, quanto feruore turba hæc accurrerit ad audiendum verbum Dei, nos autem non ad audiendas pias exhortationes, sed ad audiendas nugas, & noua huius sæculi pari feruore sæpe feramur. 2. Christum docere è naui Petri, vt ostendat Romanam Ecclesiam variis tempestatibus in mari huius mundi agitandam, vt virtus eius magis eluceat, & te idem passurum, si in ea persistas. 3. nauim reductam fuisse à terra, quia doctrina concionatoris & vita non debet esse terrena, sed celestis.

*Vt celi*



*Vt cessavit loqui, dixit Simoni. Duc in altum, laxate retia vestra in capturam. Et respondit. Tota nocte nihil cepimus, in verbo autem tuo laxabo rete, rumpebatur autem rete ex copia piscium.* Considera, Christum in concione mouere corda, sed nostrum est cooperari illi, verbo & exemplo. Ducere nempe in altum, aspirare ad celestia, & in nullo sibi parcere ad animas lucranda. Laxare retia, id est, diuinas scripturas breues verbis, sed laxas mysteriis, si explicentur.

1. nullum fructum ex concionibus etiam magno labore factis capi, si fiant nocte, id est, in statu peccati, ad vanam gloriam, frigidè, citra voluntatem Dei & superiorum. Si autè fiant in gratia & ad gloriam Dei, & superiorum nutu, maximus est prouentus.

*Petro ex stupore in genua lapsa, & clamanti, Exi à me Domine, quia peccator sum, dixit, Noli timere, ex hoc homines eris capiens. & relictis omnibus eum secutus est.* Considera processum Petri in sua conuersione. primò comodat ex caritate Christo nauè, & recipit piscibus plenā. 2. procidit ex humilitate in genua, & cōstituitur piscator hominū. 3. cupit exire à se Christum, & eo propius illū Christus accedit nā relictis retibus secutus est eum, vt nunquam ab illo discederet.



34. MEDITATIONES IN

deret. sic ex paruis initiis peruenitur ad  
summa. 2. quales debeant esse piscatores  
hominum, nempe humiles, & qui prius  
sinant capi à Christo quam alios <sup>plant.</sup>  
Deinde, qui Christi vitam & mores sequā-  
tur contemptis huius mundi retribus, id  
est, opibus, honoribus, & voluptatibus.

DOM. I. POST TRIN.

*De iustitia Phariseorum.*

*Matth. 5.*

**D**IXIT IESVS *discipulis.* ( *Nisi abunda-*  
*uerit iustitia vestra plus quam scriba-*  
*rum & phariseorum, non intrabitis in regnum*  
*caelorum.* ) Considera quanta fuerit iustitia  
Phariseorum. crebro ieiunabant, orabant  
in templo & plateis, decimas facultatum  
suarum dabant, gratias Deo pro beneficiis  
agebant, legem in simbriis vestium gesta-  
bant. vide an maior tua sit? 2. considera,  
quam magna sit Euangelicæ legis perfe-  
ctio, quæ legem Mosaicam quo ad moralia  
non tollit sed perficit, prohibet enim non  
tantum externa opera mala, sed etiam in-  
ternas cordis cogitationes, & affectiones  
prauas, quia fontes sunt malorum.

*Matth.*

*25.*

*2. Antiquum dicitur esse, non occides. Ego au-*

*tem dicit.*



rem dico, irascentem fratri reum esse iudicio, qui vero dixerit, raca, concilio; qui fatue, reum gehenna. Considera in noua lege, eadem poena digna cenferi peccata interna & externa; nam non solum qui occidit, sed etiam qui irascitur in corde ira ad occisionem redente, & multo magis qui verbo probroso iram eandem declarat, mortaliter peccat, licet alius alio grauius peccet, & ideo primus iudicij, secundus concilij, tertius gehennæ reus dicitur. Si quis autem ex passione irascatur, vel asperius verbum effutiat, peccatum veniale est. 2. Considera, ista peccata apud homines quidem leuia cenferi sed nõ apud Deum. *Non enim via mea, inquit ipse apud prophetam, sunt* <sup>Isa. 55.</sup> *sicut via vestra, & cogitationes meæ, sicut cogitationes vestra.*

*Si offers munus tuum ad altare, vade & prius reconciliare fratri à te offenso, & tunc offer.* Considera caritatis fraternæ præceptum præponi cultui diuino. Quod si fieri debeat in sacrificio legis veteris, multo magis debet fieri in sacrificio Missæ, & cõmunionem Eucharistiæ, quæ est sacramentum vnionis. *Vnum enim corpus sumus, ait Paulus, qui de vno pane participamus. 2. no-* <sup>1 Cor.</sup> *ta, quod bona opera nostra, quæ tamen* <sup>10.</sup> *sunt*



sunt Dei dona, Deus dignetur accipere loco muneris, cum tamen nihil profuit diuinæ eius maiestati.

DOM. VII. POST TRIN.

De septem panibus. Marc. 8.

1. **I**ESVS ait conuocatis discipulis. *Miserereot super turbam, quia ecce iam triduo sustentent me, & si dimisero ieiunos, deficient in via.* Considera, Christum consilio discipulorum uti, ut discas, siue superior sis, siue non, non spernere consilia subditorum, & simplicium, cum constet Deum respicere humiles, & sapientiam dare paruulis. nota, non doctos, & potentes, sed humilem turbam sequi Christum, & quidem tanto desiderio proficiendi, ut triduo eum secuta fit, non cogitans de cibo. ut discas libenter laborare in institutione populi simplicis & puerorum, & magis anhelare ad cibum spiritualem animæ, quam corporalem, quia si ille desit, verè deficiemus in via spirituali.

2. *Christus septem panibus, paucisque pisciculis benedictis quatuor millia hominum pauit in solitudine.* Considera nos huius mundi viam ad æternam patriam securos transire non

Pf 18.  
Prov.

3.



ire non posse, nisi à Christo reficiamur  
 7. Spiritus sancti donis. Mundus enim hic  
 desertum est, quia cogimur eum deserere, *Hebr.*  
 non habentes hic manentem ciuitatem; *13.*  
 imo solitudo est, in quo nihil veri boni est,  
 sed tantum vmbra, & vanitas vanitatum.  
 Pauci pisciculi, sunt exempla paucorum *Ecol. 2.*  
 Sanctorum. 2. considera Christum per ma-  
 nus Apostolorum panes distribuisse, vt  
 scias Deum dona sua nobis per medios su-  
 periores communicare. & ideo ad eorum  
 voluntatem & manus nobis, maximè, si  
 religiosi simus, respiciendum est.

*Saturati sunt omnes, & susculerunt, quod  
 superauerat de fragmentis, septem sportas.*  
 Considera liberalitatem Christi, qui ita  
 pascit liberaliter pios, vt semper satiet spi-  
 ritualiter. 2. debere nos reliquias mensæ  
 colligere, ne pereant, sed aliis quoque di-  
 stribuatur, hoc est, dona spiritualia nobis à  
 Deo collata, etiam aliis communicare.  
 3. si quid largiamur corporale vel spiritua-  
 le aliis, non fieri nos pauperiores, sed  
 ditiores, sic vt pro 7. panibus  
 plura panum millia  
 accipiamus.



38. MEDITATIONES IN  
DOM. VIII. POST TRIN.

*De falsis prophetis. Matth. 7.*

1. **I**ESVS dixit discipulis. *Attendite à falsis prophetis, qui veniunt in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces.* Considera bonitatem & sapientiam Dei, qui tantum malum, id est, falsos Doctores tot animarum peruersores non permetteret, nisi inde maius bonum colligeret: vt discas ex quouis malo, commodum spirituale colligere. 2. per falsos prophetas non tantum intelligi hæreticos, & hypocritas, sed omnes qui carnalia & suauia obtrudunt sub specie virtutis, vt est caro nostra, mundus, & diabolus. caro enim prædicit, te non diu victurum si durè ipsam tractes, sed falso, quia sancti, qui ieiunia maxima coluere, diutissimè vixere. 3. intrinsecus illos esse lupos rapaces, quia etiam si extrinsecus ostendant vestem ouilem, id est, promittant incolumitatem corporis, tamen quærunt intus occidere animam.
2. *A fructibus eorum cognoscetis eos. Non potest arbor mala bonos fructus facere, & ideo excidetur, & in ignem mittetur.* Considera, sicut quales hæretici huius temporis sint, opera ostendunt, vtpote quæ prorsus sunt  
**carna-**



IN DOM. TOTIVS ANNI. 39

carnalia, ( cum ipsi refugiant omnia quæ  
 carni & sanguini sunt molesta ) sic etiam  
 quales prophetæ sint, caro & mundus, o-  
 stendunt effectus, reddunt enim conscien-  
 tiam inquietam, feruorem pietatis tollunt,  
 agent tentationes carnales, creant incon-  
 stantiam in vocatione, &c. 2. expende ho-  
 minem comparari arbori, quia sicut illa in  
 terra plantata fructum cum ramis produ-  
 cit sursum, sic homo, licet in terra sit, con-  
 uersationem debet habere in cœlis, & fru-  
 ctus producere cœlestes, alioquin exci-  
 dendus & in flammam æternam conicien-  
 dus.

*Non omnis qui dicit, Domine Domine, in- 3.  
 trabit in regnum, sed qui facit voluntatem  
 Patris, qui in cœlis est. Considera nemi-  
 nem ad vitam æternam venturum, nisi fi-  
 dem, vel vocationem, quam profitetur o-  
 pere compleat. Deus enim voluntatem suam  
 declarauit immediate quidem in diuinis,  
 mediatè verò in humanis Ecclesiæ, & cu-  
 iusque sacræ religionis præceptis, & statu-  
 tis. 2. Deum non tam ad externas ceri-  
 monias & opera, ieiunia, cilicia, tantum in  
 Ecclesia, quam ad cor purum respicere.  
 Hac enim est voluntas Dei, ait Apostolus, 1. Thes.  
 sanctificatio vestra. 4.*

E 5 DOM.



90 MEDITATIONES IN  
DOM. IX. POST TRIN.

De villico iniquitatis. Luc. 16.

1. **D**IXIT IESVS *discipulis. Dives quidam*  
*vocat villicum qui dissiparat bona illius*  
*iubetq; reddere rationem villicationis. Con-*  
*sidera diuitem illum esse Deum, cuius est*  
*orbis terra, & plenitudo eius; villicum esse*  
*quemque nostrum, quia cuiq; villam ani-*  
*mæ, corporis, fortunarum, ingenij, doctri-*  
*næ, bonorumque aliorum naturalium &*  
*supernaturalium colendam dedit, quam in*  
*in Dei gloriam & laudem, nostram & alio-*  
*rum salutem non coluimus, reddemus ra-*  
*tionem in die iudicii, quia omnia ista no-*  
*stra non sunt, sed Dei. 2. tum vocari nos a*  
*Domino, cum concionibus, morbis, bo-*  
*nis exemplis, internis inspirationibus mo-*  
*nemur strictam aliquando reddendam ra-*  
*tionem de villa male administrata, & do-*  
*nis Dei male expensis.*
2. *Ait villicus intra se. Quid faciam, fodere*  
*non valeo, mendicare erubesco. Scio quid fa-*  
*ciam, debitores mihi faciam amicos detra-*  
*hendo aliquid de summa debitorum. Consi-*  
*dera, hæc villicum, vel peccatorem dicere,*  
*postquam interius commotus est ad pœni-*  
*tentiam post mortem enim cum reddenda*  
*ratio*



ratio est, non erit fodiendi vel medicandi locus, quia nemo amplius poterit vel bonis operibus, vel precibus tunc quicquam mereri. 2. debitores esse pauperes, & omnes illos, quibus possumus pro talento nobis concredito, siue opum, siue doctrinae & eloquentiae, siue alio prodesse: hos enim facimus nobis amicos, cum illis liberaliter quicquid possumus vel ex facultatibus nostris, vel ex doctrina, vel alio auxilio imperimus, quia impetramus remissionem peccatorum, & amici facti meremur vitam aeternam.

*Et ego vobis dico. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis, ut cum defeceritis, recipiant vos in aeterna tabernacula. Considera, diuitias dici mammona iniquitatis, non quod natura sua malae sint, cum omnes creaturae Dei bonae sint, sed quia, Apostolo teste, qui diuites fieri volunt facile incidunt in tentationem & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & noxia, quae mergunt homines in interitum. 2. quia pauperum piorum est regnum caelorum Matth. 5. nos debere per eleemosynam, vel unam magnam, (quam faciunt qui semel omnia dant pauperibus ingrediendo religionem) vel plures minores, a pauperibus emergere regnum*

1. Tim.  
6.



32 MEDITATIONES IN

regnum cœlorum. Vnde colligis, quantum faciat Deus paupertatem spiritus, & opera misericordiæ.

DOM. X. POST TRIN.

*De fletu Christi super Hierusalem.*

LUC. 19.

1. **I**ESVS videns ciuitatem Hierusalem, fletit super illam, dicens. Quia si cognouisses & tu. Considera Dominum inter summos honores hoc die (Palmarum) à populo sibi delatos lacrymari de Hierosolym. excidio post multos annos futuro, vt præbeat nobis exemplum, ne rebus prosperè fluentibus obliuiscamur afflictionum proximi. hoc enim facit societas in vno corpore, vt si vnum membrum patiatur, compatiantur cætera 2. cum fleuisse non ob ruinam materiale[m] vrbis, sed ob peccata, quæ causam ruinæ dederunt; vt nos quoque discamus deslere non temporalia damna, sed peccata nostra. Et recte, quia lacrymis temporalia damna non possumus refarcire. possumus autem damnum spirituale, vt eluto peccato, gratiam Dei recuperemus. 3. considera, omnia mala nostra oriri ex defectu cognitionis, nã dæmon velat oculos pec-

2. Cor.

13. "



ios peccatoris, ne gravitatem peccati cognoscat, ita ea ignorata in suum exitum ruit.

*Venient dies, & circumdabunt te inimici tui vallo, & coangustabunt undique.* Considera id quidem ad literam intelligi de obsidione arctissima Hierosolymæ, mysticè autem de morte peccatoris. Dæmones enim moriturum tanto numero cingunt, ut spes vix sit euadendi. Coangustant obiectis peccatis præteritis, & futuris pœnis. Prosternunt quoque in terrâ, hoc est, in desperatione adducunt, nec relinquunt lapidem super lapidè; id est, bonis omnibus quæ unquam fecit, priuant. Causa est, quia non cognovit, *tempus visitationis sue.* quod non est aliud quam tempus huius vitæ, in qua visitamur & incitamus admonitionibus, exemplis, & legibus ad officium virtutis.

*Christus ingressus templum eiecit eementes & vendentes,* dicens. *(Domus mea, domus orationis vocabitur.)* Considera Dominum ardentibus oculis seuerè eementes & vendentes obiurgatè, tum etiam irruentem in mensas & euerrentem, adiuuantibus discipulis, ut discas magno zelo vti, quando diuinæ maiestatis gloria vindicanda est. 2. Si domus illa veteris legis erat Dei domus &

IN  
quanti  
& opera

IN.  
lem.

in, fleuit  
misses &  
nos ho-  
ulo sibi  
excidio  
eat no-  
duenti-  
oximi.  
ore, vt  
patian-  
uinam  
æ cau-  
e disca-  
a, sed  
elarcia-  
ale, vt  
emus.  
riri ex  
t ocu-  
s pec-



mus & orationis, in qua arca lignea serua-  
batur; quanto magis domus Dei & oratio-  
nis erit domus nostra, in qua ipse Christus  
Deus & homo in Eucharistia est praesens,  
ac proinde in templis semper cum magna  
reuerentia est versandum, & orationi, non  
fabulis vacandum.

## DOM. XI. POST TRIN.

De Phariseo &amp; Publicano.

Luc. 18.

1. **I**ESVS dixit discipulis. Duo homines ascen-  
derunt in templum ut orarent. Vnus erat  
Phariseus sic orans. Deus gratias ago, quod  
non sum sicut ceteri hominum, ieiuno bis in  
sabbatho, decimas do. Considera, quam sic  
terribilis in consiliis suis Deus. Quis enim  
nostrum non praeferat hodie pharisaeum,  
qui tam multa bona fecit, & de iis Deo  
gratias agit, publicano, qui multa mala fe-  
cerat, & nihil boni? & tamen hic iustifica-  
tus est praeter illo. 2. nota, in quo peccavit  
Phariseus, Primo, quia censuit se iustum,  
quod solus Deus scit. 2. quia se laudavit:  
Laudet te alienus, ait Sapiens, & non os  
tuum 3. quia ceteros censuit iniustos, con-  
tra illud. Nolite iudicare. 4. quia ceteris se  
praeferat.

Pho.

27.

Matt.

7.



IN  
a serua  
oratio  
Christus  
præsens  
magna  
ni, non

DOM. TOTIVS ANNI. 95

prætulit cum Apostolus doceat, quod in *Phil. 2.*  
humilitate omnes superiores debeamus  
arbitrari.

*Alter publicanus stans à longe, nec oculos  
audebat ad coelum leuare, sed percutiebat  
pectus suam dicens. Deus propitius esto mihi  
peccatori. Considera. quas Deus veræ hu-  
mitatis conditiones in isto notarit. pri-  
mo, quod non ausus fue it oculos ad ce-  
lum leuare, reputans se esse nihil. & quid  
est homo licet iustus respectu Dei, nisi pul-  
uis & cinis? 2. quia confessus est se nihil  
boni fecisse, nec habere, nec habiturum,  
nisi ex mera Dei gratia, dicens. Deus esto  
mihi propitius 3. quia non modo nulli se  
prætulit, sed indignum etiam censuit, vt  
prope alios staret. 4. quia se accusauit, vt  
peccatorem. Iustus enim sui accusator est, *Proo.  
ait Sapiens. 5. quia & intus suam indigni- 18.*  
tatem agnouit, percutiens pectus.*

*Amen dico vobis. descendit hic iustificatus 3.  
ab illo, quia omnis, qui se exaltat humiliabi-  
tur, &c. Considera, quantum malum sit su-  
perbia respectu cæterorū vitiorū, vt nem-  
pe simul & semel omnia bona opera de-  
struat; vt nihil sint, nec profint: cetera e-  
nim vitia singulas tantum virtutes tollunt.  
vt ira patientiam, auaritia liberalitatem.*

Con-



Contra humilitas, etsi nulla bona, imo multa mala coniuncta habeat, omne bonum sibi conciliat. 2. considera, quam humiles deinceps esse nos conueniat, animo, verbo & opere, & propter arcanum Dei iudicium semper pauidos, nunquam de bonis operibus gloriantes, sed omnium minimos iudicantes.

## DOM. XII. POST TRIN.

*De surdo & muto. Marc. 7.*

1. **Q**UIDAM adducunt Christo surdum & mutum, precantes, ut imponat illi manū. Considera surdum spiritualiter esse, qui aures claudit concionibus, monitionibus, & inspirationibus Dei & conscientia. Mutum, qui os claudit ad agendas Deo gratias, ad confitenda sacerdoti peccata, ad colloquia pia, ad iuuandum proximum. 2. si sanari velimus ab utroque malo, non debere solum nos ipsos dominum orare, sed etiam sanctis uti intercessoribus, ut multiplicatis oratoribus facilius impetretur venia.

2. *Christus eum de turba seorsum duxit, digitos in aures inseruit, expuens tetigit linguam, suspiciens in caelum ingemuit, & ait*  
*Epheta.*



*Epheta, ac sanatus est.* Considera, quibus ritibus vsus sit Dominus, vt discas quomodo & tu à peccatis curari debeas. primo enim opus est, vt prauam societaem, & occasiones peccandi deseras. 2. vt gratiam Spiritus sancti, qui per digitum in S. Scriptura designatur, implores. 3. vt sapientiam tantum loquendi obtineas, quæ ad ædificationem sunt. vt enim saliuæ ex capite defluit, sic sapientia ex intellectu. 4. vt doleas de peccatis, & de cœlo expectes indulgentiam. 5. vt peccatum per confessionem publicam vel priuatam aperias, & opera Dei prædices: sic enim defines esse surdus & mutus.

*Matta.  
22.*

*Et præcepit illis, ne cui dicerent; illi autem tanto plus prædicabant, dicentes Bene omnia fecit.* Considera, primo à Christo hic nos discere, quantum studium ad conseruandam humilitatem conserre debeamus, nempe ex parte nostra bonorum operum, quæ facimus laudem & vanam gloriam fugiendo. Secundo à turba, quod grati esse debeamus pro beneficiis à Deo acceptis, & zelum habere in tuenda Dei gloria, alteriusque honore ac fama bona, nos ipsos potius aliis postponendo. 2. Considera, & tecum omnia benefecisse hactenus. **G** aus Da-



nus Dominum, ideoque ab eo laudant  
& benedicendo nunquam cessa.

DOMIN. XIII. POST TRIN

*De Samaritano & Leuita. Luc. 10.*

1. **D**IXIT IESVS *discipulis. Beati oculi  
vident, qua vos videtis, multi enim re  
& propheta ea voluerunt videre, & non  
derunt.* Considera, sicut beatiore prophe  
tis erant Apostoli, quod non solum oculi  
mentis vel fidei viderent Christum, sed  
iam corporis: ita te quoque multis mil  
bus fidelium Christi beatiorem esse, quod  
occasionem non habent tam multa boni  
videndi & audiendi, (vt qui inter Turcas  
vel hæreticos viuunt) sicut tu habes: &  
deo, p̄ tāto beneficio quotidie gratias agere.

2. *Legisperito tentanti Christum, quid facer  
endo vitam aeternam possideret, respondit,  
Deum toto corde, anima, & viribus diligere  
& proximum suum sicut seipsum.* Considera  
ra tibi quantumuis probo, nunquam de  
fururos vel dæmones, vel homines, qui  
nistris suspicionibus, vel vexationibus te  
probent patientiam. 2. perpende, quam  
perfectè, ardentè, & purè excluso omni  
vano amore rerum creatarum, opum, ho  
norum



norum, & voluptatum, diligere debeas Deum. Deinde, an reuera proximum, id est, quemlibet hominem tua ope indigentē, siue fidelis sit, siue infidelis diligas sicut teipsum, non solū corde & verbis, sed opere & veritate, vt exigit S. Ioannes, & S. Iacob.

1. Ioa. 3.  
Iac 2.  
3.

*Legisperito querenti quis esset proximus, Christus respondit Quidam in via à latronibus vulneratus est. Transiens illac Sacerdos & Leuita nihil iuuerunt, sed Samaritanus, infundens oleum & vinum, iumentoq; impositum duxit in stabulum. & stabulario commendauit. Considera quemlibet mortaliter peccantem incidere in latrones, nempe dæmones, & spoliari omnibus gratiæ donis, ac vulnerari etiam in naturalibus, nec posse curari, nisi à Samaritano, id est custode, Christo, qui nec dormiens, nec*

Psal.  
120.

*Isa. 53.  
Solus enim Deus tribuenda est hominis conuersio. Is autem peccatori non modo oleum misericordiæ suæ infundit, sed etiam vinum iustitiæ mouens ad pœnitentiam, & ita impositum corpori suo. Deus enim posuit in eo iniquitatem omnium nostrum, duxit, in stabulum, id est, Ecclesiam, & stabulario, id est, Ecclesiæ ministris, duos denarios, id est, potestatem sacramentum ba-*

G a pmissi



ptissimi & pœnitentiæ administrandi, ut  
retur à peccatis, impertiuit.

DOM. XIV. POST TRIN.

De 10. Leprosis. Luc. 17.

1. **C**HRIStO occurrente, 10. leprosi steterunt à longè, & clamauerunt IESU præceptor, miserere nostri. Considera per leproso 10. designari omnes peccatores, vel transgressores præceptorum Decalogi, vel ceteros qui incurabiles quasdam retinent imperfectiones. Vt enim leprosi suo foetido anhelitu alios corrumpunt, ita imperfecti & leues sua conuersatione aliis obstant. 2. ut in leprosis multa minuta & foeda corrumpunt hulcera, & semper sitiunt, ita in imperfectis, noui semper defectus oriuntur, & nullis voluptatibus vel recreationibus satiantur. 2. Considera, ut tales mundentur, debere stare à longè, id est, valde se humiliare, & indignitatem ac foeditatem suam agnoscere. 2. toto corde auxilium Dei inuocare.

2. **C**hristus iussit, ut ostenderent se sacerdotibus, & dum irent, mundati sunt. Considera Christum mittere leprosos ad sacerdotes, antequam eos curasset, ut discas morbos animi



animi non tantum confiteri Deo, sed etiam sacerdoti. Curati vero sunt in via, dum irēt, ut discas quanta sit virtus fidei & obedientiæ, & ideo libenter inspirationi diuinæ parere.

*Vnus videns se mundatum, rediit, & voce magna supplex Christo gratias egit, & hic erat Samaritanus & alienigena.* Considera, leprosum hunc, quia gratus fuit, maiora dona meruisse, nempe sanitatem animæ, Christus siquidem ei dixit. Vade, fides tua te saluum fecit ceteri nouem, quia ingrati, anima & corpore perierunt. 2. considera vnum tantum ex decem saluari, & veram esse sententiam Christi. *Multi sunt vocati, pauci vero electi.* Et saluari quidem alienigenam præ aliis, ut scias Deum non esse acceptorem personarum, sed omnibus gratiam suam impetiri, qui eam non respiciunt.

DOM. XV. POST TRIN.

*De duobus Dominis, Matth. 6.*

**I**ESVS dixit discipulis. *Nemo potest duobus Dominis seruire. non potestis Deo seruire & mammonæ.* Considera hic per duos Dominos, intelligi duos contrarios, Deum

G 3 & da.



& dæmonem, qui dicitur mammon, id est  
Deus diuitiarum. Hi enim contraria sen-  
dent. Deus vult cœlestia appeti, carnes  
domari, superflua nostra dari pauperibus,  
dæmon verò vult appeti temporalia, car-  
nem deliciis nutriri, aliena rapi. Si ergo  
vis Deo seruire, necesse est vt cœlestia qua-  
ras, non carnis illecebras, non opes, ho-  
nores, voluptates, quas Deus vult con-  
temni.

2. *Ideo dico vobis, ne solliciti sitis anima  
vestra, quid manducetis, neque corpori vestro  
quid induamini. Considera hic Christum  
quatuor vel quinque argumentis probari  
nos debere sollicitudinem de rebus ad  
tam sustentandam necessariis reiicere  
solum Deum omnium bonorum aucto-  
rem, iuxta illud. lacta super Dominum es  
ram tuam, & ipse te enutriet. Vnde discit  
quanta vanitas sit mundanorū, qui à ma-  
ne ad vesperam nulli rei, nisi victui curan-  
do student, ac si Deus non esset in cœlo so-  
licitus de nobis suis filiis. Et contra, quan-  
ta felicitas religiosorum, qui victu & am-  
ctu parco contenti, Deo se totos conse-  
crarunt.*

Ps. 49.

3. *Quarite primum regnum Dei, & iusti-  
tiam eius, & hac omnia adicientur vobis.*  
Conf



DOM. TOTIVS ANNI. 107

Considera, cum primo quære nos regnum Dei, cum operam damus, ut simus in Dei gratia, & mandata eius obseruemus; per hæc enim peruenitur ad regnum Dei. Deinde, cum quicquid cogitamus, loquimur & facimus, ad Dei gloriam, & salutem animæ nostræ facimus. 2. Considera, ubi id fecerimus, nobis etiam in amictu & victu necessaria, (modo sollicitudinem aliquam moderadam non negligamus) minimè defutura; nam anxiam tantum & immoderatam sollicitudinem rerum temporalium damnat Dominus. Col. 3.

DOM. XVI. POST TRIN

*De filio viduæ Naim.*

Luc. 7.

2.

**C**VM IESVS approinquaret porta ciuitatis Naim, ecce defunctus efferbatur filius viduæ. Considera horam mortis omnibus etiam iuuenibus & sanis esse incertam, & ideo vigilare debere. 2. te tantum in vita mundo gratum fore, post mortem autem foras statim exportandum, & ideo non mundum, sed sanctam vitam, operaq; bona amplecti debere cum Christo: quia illa te post mortem non deserent. 3. de-

G 4 fun-



functum spiritualiter significare peccatorem ob peccatum mortale defunctū Deumque efferri à 4. baiulis; quorum duo antecedunt. nempe consuetudo peccandi & praua societas; & duo sequuntur, scilicet vitæ longioris, & præsumptio in misericordia Dei.

2. *Domine vidua dixit, noli flere, & portatores stantibus tetegit loculum dicens. Adulescens, surge. Et resedit, locutus est, & mater redditus.* Considera, in hoc exemplo quibus modis peccator, vel aliquis multis imperfectionibus obrutus respiscat. Primo Deus calamitate vel fletu illius ad misericordiam mouetur. 2. per gratiam & desiderium penitentiae tangit eius cor. 3. per contritionem ex peccato surgit. 4. loquitur acculando se in confessione. 5. verbis Christi & sacerdotis absoluentis vitæ gratiam restituitur. 6. portatores stant, id est, deseruntur omnia quæ in peccato eum fouebant. 7. matri Ecclesie restituitur.

3. *Acceptit omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes, quia propheta magnus surrexit in nobis.* Considera, sicut inter miracula corporalia nullū maius est excitatio mortui, ita inter spiritualia nullū esse maius conuersione peccatoris, & ideo sicut homines



minesilli Naimitæ hoc facto profecerunt  
in reuerentia & religione erga Deū, eumq;  
landarunt & glorificarunt, sic angeli in  
cælo gaudent super peccatore pœniten  
tiam agente. *Luc. 15.*

DOM. XVII. POST TRIN

De Hydropico. *LUC. 14.*

**C**VM introisset IESVS in domum Pha  
risei sabbatho manducare panem, ipsi ob  
seruabant eam. Considera, benignitatem  
Christi non refugientis consortium homi  
num improborum, qui ad calumniandum  
eum obseruabant, vt suo colloquio possit  
eos ab errore & peccatis deducere: vnde  
disce, non esse semper eorum conuentum  
fugiendum, sed laborandum, vt nostro ex  
emplo, verboq; meliores fiant; & si pu  
sillanimis sis, ora Deum, vt audeas ex zelo  
coram talibus aliquid boni dicere. 2. nomi  
ne panis indicari sobria debere esse conui  
uia. Certe scriptura panem & aquam ap  
pellat initium vitæ hominis & experientia *Ecc. 29*  
docet 100. anni s vixisse, qui sobriè panè  
solo pane contenti vixere. Quod si tibi non  
liceat per superiores sic viuere, saltè paucis  
cōtentus viue, & respue ferculorū copiam.

*Hydropicum ibi presentem sanat, & probat 2.*

*G s sanari*



sanari posse sabbatho, sicut asinum in foueo  
 lapsum licet extrahere. Considera rursum  
 Christi caritatem, quod quavis data occa-  
 sione etiam tempore prandii sanet hydro-  
 picum, et si sciret pharisæis illud displicere  
 2. quod argumentis conatur probare, se  
 posse illis benefacere. 3. quod occultè co-  
 natur eorū hydropisin, id est, inflationem  
 & fastū mentis sanare, & ideo de humilita-  
 te exemplum subiungit. Considera secun-  
 do pharisæos nihil respondere potuisse  
 quid ergo respondebunt in die iudicii, quā-  
 do strictissime omnia inquirentur?

3. *Cum vocatus fueris ad nuptias, recurre  
 nouissimo loco Quia omnis qui se exaltat, hu-  
 miliabitur.* Considera, Christiani homines  
 esse, non solum ciuiles mores seruare, sed  
 etiam alios, quamuis prandii tempore, do-  
 cere. 2. etsi hæc regula, quod humilis ex-  
 altandus sit, fallax sit in mundo, vbi humi-  
 liantes se sæpe manent in gloriæ & contem-  
 pti, infallibilis tamen est in conspectu De-  
 i. *Pet. 5.* quia Deus, ait B. Petrus, *superbis resistit, hu-  
 milibus autem dat gratiam.* 3. considera  
 neminem dignius interesse conuiuio ce-  
 lesti s. Eucharistiæ, quam qui humilis est  
*Luc. 18.* dicens cum publicano, *Domine propi-  
 tius esto mihi peccatori.*

DOM



S IN  
foueam  
rursu  
ta occa  
hydro  
splicere  
bare, si  
ultè co  
ationem  
milita  
a secur  
ootuisse  
cii, quã  
?  
recumb  
ltat, ho  
homini  
are, se  
oore, do  
milis es  
oi hum  
contem  
ectu De  
sistit, ho  
onfider  
uio co  
milis est  
propi-  
DOM

DOM. TOTIVS ANNI. 107  
DOM. XVIII. POST TRIN.

*De mandato magno in lege.*

*Matth. 22.*

**L**EGIS Doctori roganti, quod est manda-  
tum magnum in lege, respondit IESVS.  
Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde  
tuo, anima, mente hoc est maximum & pri-  
mum mandatum. Considera tunc ex toto  
corde diligi Deum, quando omnes cogita-  
tiones in eum reflectimus: tota anima,  
cum affectiones omnes in eum conuerti-  
mus; tota mente, cum omnes quinque sen-  
sus facimus ei seruire, & denique cum ni-  
hil diligimus, nisi propter ipsum. 2. Con-  
sidera, cum aliquem diligis te libenter  
cum eo colloqui, eius domum adire, se-  
creta patefacere, cum eo comedere, &  
munera donare. Sic fac cum Deo. Li-  
benter in oratione & meditatione cum eo  
colloquere, templum, quæ est eius do-  
mus, crebro accede, peccata tua eius vi-  
cario confitere, sæpe communica, & te  
ipsum, quo munus ei gratius dare non  
potes, omniaque opera bona offer, ad  
eius gloriam; & vicissim maiora recipies.

*Secundum autem simile est huic. Diliges 2.  
proximum tuum, sicut te ipsum. Considera  
proxi-*



proximum non esse tantum amicum, vel  
Christianum, sed omnes homines tam no-  
tos, quam ignotos, amicos quam inimi-  
cos, fideles quam infideles: omnes enim  
ad imaginem Dei creati sunt, & vnius pa-  
rentis nostri Adæ filii. Pro quibus omni-  
bus orare debemus, offensas condonare,  
bona temporalia & spiritualia precari  
quia pro omnibus, etiam crucifixoribus  
suis Christus mortuus est. Expende, quam  
longè absis a perfectione huius dilectionis  
2. Considera, tam necessariam esse istam  
dilectionem, vt sine illa nec Deus rectè di-  
ligatur. *Qui enim non diligit fratrem, quem  
videt, Deum, quem non videt, inquit B. Io-  
annes, quomodo potest diligere?*

1. Ioa.

4.

3. *In his duobus mandatis tota lex pendet &  
propheta.* Considera, id à Christo dici, non  
quod alia præcepta & documenta non sint  
sed quod omnium quæ præcipiuntur, con-  
sulantur, prohibentur, promittuntur & do-  
centur in prophetis, tota quæ Scriptura fi-  
nis sit dilectio Dei & proximi, vt si illa à  
quibuscumque tandem operibus etiam  
optimis absit, nihil proficit ad salutem.  
Qui finis, quo facilius est, & naturæ hu-  
manæ conuenientior, (amanti enim ni-  
hil difficile) eo studiosius eum propositum  
habere



habere debemus. Quid facilius, & iucundius quam diligere?

## DOM. XIX. POST TRIN.

*De paralytico. Matth. 9.*

**C**HRISTVS paralytico in lecto iacenti. *Ob fidem deportantium eum dixit, (Confide fili, remittuntur tibi peccata tua.)* Considera Christum non rogatum, primo ei remittere peccata, ut discas prius in te aliisque sanitatem animæ quærere, quam corporis. Deinde, peccata sæpe esse causam morborum. 2. Considera bonum esse te versari in societate multorum piorum, ut si non tua fide & operibus, illorum saltem pietate & precibus sanitatem spiritualem impetres, maximè si paralyticus sis, id est, multis imperfectiõibus obnoxius.

**I**ESVS videns cogitationes blasphemias scribarum ait. *Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua, an dicere, surge & ambula?* Considera, exemplo Christi nos de ceteri, ut quoties prava menti obrepit cogitatio, debere reprehensione nostræ ipsorum mox repelli, dicendo. *Ut quid cogitas, malum in corde tuo? & seruum Dei contra maledicos & detractores non alius*  
*amais*



armis vti, quam boni operis exemplo, vti hic Christus fecit, sanans paralyticum, vti ostēderet se posse remittere peccata, quod scribæ putabant blasphemum.

3. *Tunc ait paralytico. Surge, & tolle lectum tuum & vade in domum tuam.* Considera per paralyticum intelligi spiritualiter peccatorem, operibus meritoris destitutum vel otio turpi in sua vocatione marcentem. Is primo Deo confidens à vitiis vel imperfectionibus antiquis debet surgere per bonum propositum vitæ emendanda.
2. tollere lectum, id est, corpus suum cogere, seruire iustitiæ, quod prius seruivit iniquitati, castigareque illud ieiuniis, disciplinis, &c. 3. vadere in domum suam, id est, honorum operum exercitio de virtute in virtutem proficere, donec perueniat domum, id est, ad patriam cœlestem.

Eph. 5.

Ro. 6.

DOMIN. XX. POST TRIN.

*De veste nuptiali.*

*Matth. 22.*

1. **D**XIT IESVS *discipulis parabolam.* Rex ad nuptias filii sui inuitauit multos, sed quidam se excusarunt, alii vero inuitatores occiderunt. Considera, Deum fecisse nuptias



DOM. TOTIVS ANNI. III

ptias filio suo, quando carnem humanam  
 ex B. Virgine assumpsit, ad quas & tu es  
 inuitatus. His qui interfunt, id est, Chri-  
 stum per fidem viuam recipiunt, ii fiunt  
 filii, amici & domestici Dei, heredes re-  
 gni, fratres & socii indiuidui, donorum  
 Spiritus sancti & omnium charismatum  
 cœlestium participes. *Qui enim adhaeret*  
*Deo, ait Apostolus, unus Spiritus est cum* 1. Cor. 6.  
*eo.* 2. Considera duo genera hominum  
 se excusasse, visentes villam, & negotia-  
 tores, id est, homines superbos & aua-  
 ros, qui aucupandis honoribus, vel cu-  
 mulandis huius sæculi opibus sunt ad-  
 dicti.

*Rex vero iratus perdidit homicidas, & ex* 2.  
*viis publicis alios, tam bonos quam malos, in-*  
*uitari iussit, donec impleta essent nuptia dis-*  
*cumbentium.* Considera quis sit exitus eo-  
 rum, qui ad has nuptias venire negli-  
 gunt, vel etiam inuitatores suos re ipsa  
 occidunt, vel saltem molestè ferunt; vt  
 sunt omnes concionatores, qui ad pœni-  
 tentiam, & sacramenta alia homines in-  
 uitant post breues enim huius sæculi vo-  
 luptates æterna eos manet damnatio &  
 perditio. Malimundo ridet & vexant  
 pios crebro cœlestes has nuptias per  
 factam



sacram communionem frequentantes, sed postea ipsi vexabuntur à dæmonum exercitu in inferno. 2. considera, in locum illorum, alios inuitari ex publicis viis, id est, pauperes spiritu & humiles, qui locum superborum & locupletum suppleant, quia ad has nuptias nulli aditus datur, nisi veram colat humilitatem, & fidei constantiam retineat caritatem.

3<sup>o</sup> *Rex videns hominem non vestitum veste nuptiali; ait, Amice, quomodo huc intrasti? at ille obmutuit. Tunc Rex dixit ministris, Ligatis manibus & pedibus, mittite eum in tenebras exteriores.* Considera, eum qui veste nuptiali caruit, licet interfuerit nuptiis, damnari. Sunt enim aliquando hypocritæ, qui videntur foris pii, cum aliis orant, confitentur, communicant, sed sine veste nuptiali, id est, non sincerè, & cum pura intentione Deo placendi, vitam que emendandi, sed fictè, vt tantum placeant hominibus, vel vt nequitia eorum non pateat. Vt discas talis semper intus esse in conscientia, qualem exterius verbis & operibus te esse ostendis. tunc enim eris non tantum inter multos vocatus, sed etiam inter paucos electos.



DOMIN. TOTIVS ANNI. in;  
DOM. XXI. POST TRINIT.

*De Reguli filio. Ioan. 4.*

**R**EGVLVS rogat Iesum vt descendat, sanet-  
que filium suum incipientem mori. Con-  
sidera vanitatem omnium quæ in mundo  
sunt; quid enim nobilitas, & opes profue-  
re regulo, vt à morte liberaret filiū? 1. Dei  
sapientiam tam variis, mirisque modis ho-  
mines pertrahentem ad salutem. occasio-  
ne enim huius lethalis morbi factum est,  
vt & regulus quæreret Christum, & tota e-  
ius familia conuerteretur. Vt meritò mor-  
bi inter dona Dei sæpe sint reponendi, &  
optandi potius, quam horrendi.

*Dixit Iesus ad eum, nisi signa, & prodigia 2.*  
*videritis non creditis.* Considera Christum  
duriuscule alloqui regulum, tum quod fi-  
des eius esset imperfecta; credebat enim  
ab eo quidem filium sanari posse, sed præ-  
sente; & ideo secundo petiit, vt descende-  
ret: tum di. q̄ vites in hoc mundo suas ha-  
bent cōsolationes, & sæpe tantas, vt nō nisi  
increpationibus excitari queant ad curan-  
dam salutem, 2. expende, num aliquid tuæ  
quoq; fidei desit; si enim verè crederes Dei  
promissionibus de vita æterna, & commi-

H natio-



nationibus futuri iudicij, purgatorij, & inferni, longè ardentior esses in exercitatione pietatis, omniumque bonorum operum.

3. *Dicit ei Iesus. Vade, filius tuus viuit. Cuiusmodi regulus sermoni ibat; & postquam a seruis cognouit filium reuoluisse eadem hora, credidit ipse & domus eius tota. Considera, te esse illum regulum; quia regenda habes potentias animi tui internas & externas, omniaque membra, ut subsint Deo & rationi. Filius tuus est anima tua, quod dum lapsa est in peccatum mortale, aut lapsi proxima est, mox clamare debes ad Dominum, & si firmiter credideris, quod solo nutu te iuuare queat, non solum anima à peccato liberabitur, sed etiam gratiam consequere alios conuertendi.*

DOMINICA XXII. POST  
TRINIT.

*De regeneratione ponente cum seruo.  
Matth. 18.*

1. *R* *Ex cuidam seruo suo, 10. millia talenta remisit, eo quod prociderit in terram decens. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Considera regem esse Christum,*



seruum esse quemuis hominē, quia à Deo creatus est, Christi sanguine redemptus, & in vineam vitæ præsentis conductus, vt Christo seruiat. Hic autem 10. millia talē ta debet, quando 10 præcepta transgreditur, quia nullo modo homo satisfacere potest vel pro vnus p æcepti transgressione, sed eget mera Christi regis misericordia, quam cōsequetur, si ex parte sua humiliarit se, pœnitētiā egerit, & proposuerit emendationem. 2. cogita, quoties per relapsum homo debitum illud decem millium talentorum renouarit, & tamen ex ineffabili misericordia Dei, nō dimidiam, sed integram veniā impetrarit, quo ad culpæ offensam, & aliquando etiā quo ad pœnam, dum fuit contritio vel indulgentia 2. plenaria pœnitentiæ coniuncta.

*Ille seruus abiens, confesso suo debitum 100. denariorum licet hic proci dens rogasset pro patientia, non dimisit, sed in carcerem misit. Quo cognito rex iratus tradidit seruum suum tortoribus, donec vniuersum debitum redderet. Considera, crudelitatem serui, nolentis dimittere debitum; cum hoc, nēpe 10. coronatorum, nullam fuerit respectu prioris, quod erat 120. vasorum auri. vt discas, te quoque crudelem fore, si*

H 2 *iiii*



iniuriam non remittas proximo, cum hæc nulla sit, respectu iniuriæ per peccatū Deo facta. 2. Considera, quid mouere te debeat, vt libenter iniuriam illatam remittas proximo. primò, quia Deus præcepit diligere proximum. 2. Dei longanimitas in tolerandis impiis & inimicis, donec se emendent, id quod in annos multos. 3. quia efficeris hoc actu filius Dei. *Diligite*, inquit Christus, *inimicos vestros, & eritis filij altissimi.* 3. perpende ingratitude, iram Dei prouocari, & penas peccatorum augeri.

Mat. 5.

3. *Sic & Pater meus cœlestis faciat vobis, si non remiseritis vnusquisque fratri suo de cordibus vestris.* Considera, quanti faciat Deus dilectionem proximi, quo ad condonationem iniuriæ, vt suam scilicet dilectionem & misericordiam ei neget, ac præterea in æternas flammæ eum detrudat. 2. non sufficere illi, vt ore tantum fiat remissio, sed ex corde, vt nullam aersionem sentiat in animo, nec recordetur amplius iniuriæ. Nam etiam in vet. lege scriptum est.

Leu. 19.

17.

*Non quæres ultionem, nec memor  
eris iniuriæ ciuium  
tuorum.*

DO.



DOMIN. TOTIVS ANNI. 117

DOM. XXIII. POST TRINIT.

De numismate census. Matth. 22.

**P**harisaeorum discipuli cum Herodianis  
missi ut Christum caperent in sermone, a-  
iunt. Magister scimus, quia verax es, & viam  
Dei in veritate doces. nec respicis personam  
hominum. Considera, quod sit ingeniū im-  
proborum hominum, nempe alios malos  
sibi asciscere: 2. quod per se nequeūt, id per  
alios moliri. 3. consilia inire contra bonos,  
4. fictè agere. 5. adulari & laudare. 2. Con-  
tra nota, piorum, & Christi imitatorum es-  
se, ut sint Magistri, id est, auctores bonorū  
operum alii verbo, & exemplo. deinde  
veraces, nō ficti, qui scilicet promissa præ-  
stent. 3. viam Dei docentes in veritate, non  
tractando nugas, sed pia colloquia vsur-  
pando, solidas virtutes, proponendo & ex-  
ercendo. 4. neminem timentes, nisi solum  
Deum, ac omnibus liberè veritatem præ-  
dicantes, landando bonos, increpando  
malos.

Potentibus an census dandus esset Casari 2.  
respondit Iesus. Quid me tentatis hypocritæ?  
Ostendite mihi numisma census. Et obtule-  
runt donarium signatum imagine Casaris,

H ; Con-



Considera, Dominum adulatoribus non  
 ablandiri, quia solent, non laudari, sed  
 suam quærere vtilitatem; vt discas non di-  
 ligere fauores humanos. 2. fictos, & frau-  
 dulentos non posse diu latere. 3. recte nos  
 facere, quãdo ex ipsorum verbis eos redar-  
 guimus; nam quia dixerant Christum non  
 esse acceptorem personarum, illis non pe-  
 percit, sed hypocritas vocauit. 2. considera,  
 contra tentationes dæmonis, carnis & mû-  
 di, quæ sit imago impressa animæ nostræ,  
 nempe Dei, ad cuius imaginem creatus es,  
 & in baptismo reformatus adjuncto signo  
 crucis, cum superscriptione, *Declina à ma-  
 lo, & fac bonum.* quod in baptismo promi-  
 sisti. Et si religionem ingressus es, cum in-  
 scriptione *Serua paupertatem, castitatem, &  
 obedientiam,* quia vouisti,

3. Tunc ait illis *Reddite ergo, quæ sunt Ca-  
 saris, Cesari, & quæ sunt Dei, Deo.* Cõsidera,  
 nos per libertatem à peccato & dæmone,  
 quam habemus per Christum non eximi  
 ab obediẽtia superiorum, tam secularium,  
 quam spiritalium, tum quia illi vigilat  
 pro nobis in temporalibus & spiritalibus,  
 tum quia Christus, licet verè Dominus &  
 superior omniũ, eximi noluit: iussit enim  
 didrachma pro se & Petro dari, ne scanda-  
 liza



DOMIN. TOTIVS ANNI. 119

lizaret. 2. hic *Cæsarem* anteponi Deo, quia Deo obedire nequit, qui rebellis est Imperatori, vel superior suo immediato; sicut neq; Deum diligere potest, qui proximum odit.

DOM. XXIV. POST TRINIT.

De principis filia, & hamorrhoiſſa. Mat. 9. 1.

**P**rinceps Synagoga cum adorato Christo petisset manum imponi filia defuncta, ad domum eius secutus est. & eiecta turba cum vicinibus, manum apprehendens eam excitavit. Considera tria fecisse principem illū. primo se publicè ad pedes Christi abiecit. 2. impensè eum rogavit pro filia; credidit tactu manuum posse sanari: sic si quid exorare velis à Deo. primò valde humilia te coram Deo. *Oratio enim humiliantus se penetrat nubes.* 2. ora non cepidè, sed cum affectu. 3. cum fiducia te impetraturū, nihil haesitans, vt docet B. Iacobus. 2. considera Christum omiſſa concione mox surrexiſſe, vt promptè operam cum exigitur proximo accommodemus etiam in temporalibus. Magdalenā enim & Martha sunt sorores. 3. considera per eiectā turbā moneri nos si velimus à prava vita resurgere, malā societate deferendam, & desideria inutilia.

*Eccl. 35.*  
*Iac. 1. 1*

H 4 *Mulier*



2. *Mulier sanguinis fluxum diu passa, rursus, miler, vt no, retq, sanac, D*  
 tetigit fimbriam vestis Christi, dicens in  
 se. Si tetigero, salua ero Considera ex multo  
 Christum securis, hanc mulierem tantum  
 fuisse sanatam. quia non pari fide & deu  
 tione cum h. c. securi sunt. Nos ergo, q  
 toties ad ius altare Domini sanctum, v  
 deam, vt debita deuotione adeamus, r  
 tangendo Christum nullum referam  
 suctum. 2. hanc mulierem non sanata  
 cum proposuit tangere vestem Christi, se  
 cum tetigit, vt discas, non satis esse propo  
 situm facere vitæ emendandæ, sed reip  
 mendandam 3. eam fimbriam, id est, ex  
 tremam tantum partem vestis Christi at  
 tigit. Fimbria illa est Christi passio respo  
 ctu totius vitæ, quam si solam humiliter  
 meditando & imitando tangamus, vale  
 bit ad omnes infirmitates nostras curan  
 das.

3. *At Iesus conuersus dixit illi. Confide filia, tot, pa, con, tho, con, bus, id e, re,*  
 fides tua te saluam fecit. Considera, Christi  
 sanitatem restitutam non suæ virtuti, sed  
 fidei mulieris tribuere, vt doceret nos, in  
 bonis operibus nostris non quærere lau  
 des nostras, sed solam Dei gloriam. 2. hanc  
 amabili loquendi formula cum declarare  
 voluisse, quam benigne non vt iudex seue  
 rus,



rus, sed vt clemens Pater peccatorem hu-  
mitem & compunctum recipiat. Deinde  
vt nouum solatium illi afferret, intelligen-  
retque ipsa se etiam spiritualiter in anima  
sanatam; ideo enim vocat filiam.

DOMINICA XXV. POST  
TRINITATIS.

*De abominatione desolationis.*

*Matth. 24.*

**D**ixit Iesus discipulis. Cum videritis abo-  
minationem in loco sancto, tunc qui in  
Iudaa sunt, fugiant ad montes, & qui in te-  
plo, non descendant: & qui in agro, non re-  
uertantur tollere tunicam suam. Considera,  
nos hic doceri, quid agere debeamus, quā-  
do est talis desolatio, hoc est, cū sacra ne-  
gliguntur, imagines dei ciuntur, Missa ab-  
oletur, Catholici expelluntur, vt nunc fit  
toto fere Oriente, & magna parte Euro-  
pæ. Primò enim qui in Iudaa sunt, id est,  
constantes manent in cōfessione fidei Ca-  
tholicæ debent fugere ad montes, id est,  
contemplari cœlestia, & in bonis cœlesti-  
bus spem suam figere. 2. manere in templo,  
id est, omnia terrena calcare, & contem-  
nere, nec solliciti esse de temporalibus, 3. in a-

H s gro



gro manere, id est, in agro & vinea Domini excolenda persistere, & alioquos saltem fidem conuerrere.

2. *Vt pręnantibus & nutrientibus in diebus. Orate autem ne fiat fuga vestra hodie & vel sabbatho. Erit tunc tribulatio magna sed breuis abuntur dies illi.* Considera, quam periculosę multi hoc tempore fideles, videntur inter Turcas, vel hæreticos versentur, maxime qui infantulos nutriunt; id est, in fide non sunt fortes, vt pro Christo ferant leuiter & verbera: quotidie enim videmus quam multi eam ob rem leuiter deficiant.
2. orandũ esse sepe Deum, ne in isto frigore exercitiorũ pietatis, ieiuniorũ aliarũque pœnitentiã, vel in Sabbatho, id est, negligentia frequentatione concionũ, & officiorum diuinorũ in templis, multi fugiant, & à vita sancta desistant. 3. considera, magnam quide persecutionẽ hactenus passam Ecclesiã Catholicã, sed sperandũ, nõ diu duraturã, ppter electorũ preces & opera bona.
3. *Si quis dixerit, Ecce hic est Christus, aut illic, in deserto, vel penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab oriente, & patet usque in occidentem, ita erit aduentus filij hominis.* Considera, hinc manifestum signũ dari Ecclesię hæreticę, si in aliquo angulo or-



lo orbis esse dicatur, vt in Germaniæ parte, vel Angliæ. sordes enim sunt in angulis. Catholica Ecclesia autem toto orbe spargi debet, & sicut lumen, ab Oriente in Occidentem tendere. vnde & nostro seculo, in vtraque In lia orientali & occidentali viget, vbi nullus est hæreticus 2 Considera, aduentū Christi ad iudiciū subito futurū, & ideo cōueniens esse, vt omnes vigilemus, (nisi enim illo est incertius) & in Ecclesia Catholica, sancta q; vita perseueremus.

DOM. XXVI. POST TRINIT.

De extremo die iudicij. Matt. 25.

**D**ixit Iesus discipulis. Cum venerit filius hominis in maiestate sua, & omnes angelicum eo, congregabuntur ante eum omnes gentes, & separabit eos, sicut Pastor segregat oves ab hædis. Considera in extremo die iudicij, prævio signo triumphali crucis, cubis clangentib. è cælis p̄diturū inter angelorū exercitus filiū Dei medium incredibili maiestate fulgentē; tum ad magnā vocem. Surgite mortui, venite ad iudicium, resurrectionem omnium secururam. angelosque separatos bonos, quorum splendidaerūt corpora, à malis, quorum erunt obscura & terra; his ad sinistram, illis ad dextram loca



locatis. 2. Considera, quanto pudore  
afficiendi sint mali, cum omnia illorum  
scelera occultè licet & cogitatione  
tum commissa, omnibus pateant. Con-  
tra verò, quanto cum gaudio & securi-  
tudine iudici se sistant, qui peccata sua con-  
fiteantur.

2. *Tunc dicit Rex stantibus ad dexteram  
nate benedicti Patris mei, possidete pariter  
vobis regnum à constitutione mundi. Ego enim,  
Etc. Quod uni ex minimis fecistis, feci  
vobis.* Considera bonitatem & amoris  
iudicis erga salvandos. primò enim  
eos possidere regnum, velut illud, quo-  
tione hereditatis filiis deberur. 2. dicitur  
illud iis ante mundum conditum, id est  
æterno præparatum. 3. pro minimis opor-  
tuit ut visitatione infirmorum, & vincentium  
4. quod sibi reputet factum, quod pauperibus  
& vilissimis factum est. 5. quod multos  
illos vocat fratres suos. 2. confidit  
iudicem tantum facere mentionem op-  
erum misericordiarum, non quod alia quædam  
præstantiora non sint, sed quod homines  
illa magnifaciant, & Deus maximè illi  
meueatur, ad misericordiam aliis præst-  
dam.

3. *Tunc dicit & his, qui à sinistris erunt. D-*



NES I

o pudor  
nia illo  
tatione  
euent.  
& secur  
sua con  
dexteram  
lete pa  
undi. E  
fecistis  
& am  
enim i  
d, quoc  
2. dicit  
id est  
imis op  
& vincit  
od paup  
quod m  
confide  
onem op  
a quaed  
d homin  
ximè il  
iis praef

cedite à me maledicti in ignem aeternum, qui  
paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui  
enim, & non dedistis mihi mand. &c. Con-  
sidera, quonodo iudex post electos tam  
copiosa mercede remuneratos, terribili  
vultu in sinistram conuerso, hæc dicturus  
sit, quantusque terror, & confusio omniū  
consecutura, clamantium ad montes. *Ca. Apoc.*  
*6.*  
dite super nos à facie sedentis in throno: acri-  
us certè vox illa eos cruciabit, quam ipse  
infernus. Quid enim infelicius excogitari  
potest, quam diuelli à Christo vnico sum-  
mo bono, & in aeternum ardere tartareis  
flammis? 2. considera, cur dicat flammis  
paratas diabolo & angelis eius. nēpe, quia  
hominibus parauerat regnum aeternum,  
pro illis passus & mortuus, solisque angelis  
malis, nunquam cōuertendis ignem aeter-  
num. 3. Considera, ex verbis illis *Esuriui, & Mat. 23.*  
*non dedistis, &c.* colligi, reprobos non so-  
lum condemnandos ob parrata mala ope-  
ra, sed etiam omissa bona, quæ poterant &  
debebant facere, iuxta illud Christi. *Omnia*  
*arbor, qua non faci fructum bonum,*  
*excidetur, & in ignem mit-*  
*setur.*

DOMI-



DOMINICA I. AD  
VENTVS DOMINI.*De ingressu Christi in Hierusalem.*  
Matth. 21.V I D E Meditationem Dominica  
marum.

## DOMIN. II. ADVENTVS

*De signis iudicij extremi.*

Luc. 21.

**D**IXIT Iesus discipulis. Erunt signa in  
*luna, & stellis, arescentibus hominibus*  
*pro timore &c.* Considera superiore Do-  
 minica propositum esse aduentum Chri-  
 stum humilem & iocundum, nunc vero alterum  
 in fine mundi futurum gloriosum & ter-  
 ribilem ad iudicium. vt tam amore, quam  
 timore stimulemur ad bonum; & vt dilige-  
 mus non posse nos venire ad gloriosum  
 Christi aduentum, vt cum illo congre-  
 mus, nisi in hoc mundo prius nos humilia-  
 mus, & cum eo compatiamur. 2. Considera  
 adeo hic astorum coelestium mutatio



nem dici præmittendam iudicio, imo dis-  
 solutionem orbis totius; vt omnes clarius  
 intelligerent, quã horribile id sit futurum:  
 Multi enim cogitatione hac territi à pec-  
 catis abstinēt, vt Hieronymus, qui dicebat,  
 a tribus suis semper insonare vocem. Sur-  
 gite mortui, venite ad iudicium.

*His seri incipientibus, respicite & leuate*  
*capita vestra, quoniam appropinquat red-*  
*emptio vestra.* Considera primò, quod bo-  
 ni tunc monentur sperare & gaudere, quã-  
 do maximæ sunt afflictiones, quia illorum  
 est per multas tribulationes intrare in re-  
 gnum Dei. 2. quo impij magis dolent de  
 futuris imminentibus malis, eo pijs magis  
 esse gaudendum de impendentibus bonis.  
 & ideo iudicij dies pijs non erit horribilis,  
 sed iucundissimus, quo pro certamine co-  
 ronabuntur. 3. considera, quod tunc incre-  
 dibile gaudium pijs afferet redemptio i-  
 psoꝝ, hoc est, liberatio corporis a mor-  
 bis, inordinatis passionibus, & uniusque  
 corruptione, deinde ab omni tentatione  
 dæmonis & mundi, metuque damnatio-  
 nis. 4. illud gaudium venturum de cælo,  
 vt scias nullum solidum gaudium esse ex-  
 pectandum in terra.

Actor.

14.

Ej



3 Et dixit illis similitudinem. Videte fructum scitis, quoniam prope est aestas. Et cum hac fient, scitote quia prope est regnum Dei. Considera Dominum præcedentia magna conferre cum arboribus pullulantibus ut discas tanto pulchriores fore crescere post iudicium, quanto arbores in aestate florentes sunt aridis in hyeme multiores.

2. nota, tum nos esse regno cælorum proximios, cum instar arborum bonarum floremus, & fructibus abundamus.

## DOMIN. III. ADVENTVS.

De S. Ioanne Baptist. in vinculis  
Matt. 11.

1. IOANNES in vinculis auditis Christi operibus, mittens duos de discipulis ait illi. Tu es qui venturus es, an alium spectamus? Considera Ioannem licet in vinculis, non de sua liberatione, sed discipulorum salute sollicitum, & recte in fide, & vita sancta institutum; ut discas in afflictionibus nihil de consuetis precibus aliis que officiis pietatis detrahere. 2. Ioannem non misisse, quod ipse dubitaret de Christo, an esset Messias, sed ut ignorantia missorum consuleret, & per



conspicua miracula eos ad Christum tra-  
heret, sciens se breui moriturum; vt discas,  
cum per te non potes, vel audes monere  
vel docere, debere saltem per alium.

*Iesus respondit. nunciate Ioanni, quia audi-*  
*stis, & vidistis, caci vident. & pauperes euan-*  
*gelizantur, & beatus est, qui non fuerit scan-*  
*dalizatus in me.* Considera, Christum non  
fateri palam, se esse Messiam venturum, *Isa. 28.*  
sed tantum se opera facere, quę in Scriptu-  
ra tribuuntur Messiaę, vt discamus neminē  
facile se debere commendare; sed id tan-  
tum dicere ad Dei gloriam, quod satis est  
ad salutem alterius promouendam. 2. de-  
cere quemuis superiorem, & magistrum,  
vt prius facto præstent, quod volunt subdi-  
tis mandare per verba. Christus enim hic  
maluit factis, quam verbis respondere. 3.  
nota, Christum occultè corripere discipu-  
los Ioannis, cum ait: *Beatus qui non scanda-*  
*lizatur in me. nam ob lectum in magistrum,*  
nondum credebant in Christum. vt nun-  
quam palam occultos peccatores confun-  
damus, sicut & aliàs Christus cum Iuda fe-  
cit, quem recte arguit.

*Illis abeuntibus, Iesus dixit ad turbas. Quid 3.*  
*existis videre, Arundinem vento agitatam,*  
*mollibus vestitum? Prophetam? imò plusquā*

1 Pro-



130 MEDITATIONES IN

*Prophetam.* Considera Christum non lassasse Ioannem coram discipulis tum ut tam adulatoris effugeret; tum ut ne ex laudibus occasionem raperent, licet sine causa, eum Christo præferendi. ut discas contra hereticis & improbis, pudenter & paterne de laudibus Sanctorum loqui ne calumniarum anam arripiant, 2. considera, hic austeritatem vestitus laudari & eremitarum meliorumque religiosorum duram vitam præbari: contra verò improbari molles & pretiosas vestes. 3. constantiam austeritati & pietati coniungi, quia nulli constantiorum sunt in fide & veritate tuenda contra mundum. eiusque principes, quam qui mundi eiusque opes & pompam serè contempserunt. 4. turbis & simplicibus hominibus sæpe vitas quoque aliorum Sanctorum paratim & publicè recensendas.

DOMIN. IV ADVENTVS

*De Iudæorum legatione ad  
Ioannem, Ioann. 1.*

v. **M**iserunt Iudæi Sacerdotes & Levites ad Ioannem, ut interrogarent eum quis es? Considera cur tanti nominis fuerit



DOMIN. TOTIVS ANNI. 131

S. Iohannes, nempe quia eius natiuitas fuit admiranda, quia à puero in eremum secessit, ibiq; duram vitam, soli Deo vacans usque ad virilem ætatem egit, quia pœnitentiam prædicabat, veritatis & iustitiæ amantissimus, vt discas tales virtutes imitari, si ad perfectionem christianæ vel religiosæ vitæ aspiras. 2. Considera vitæ sanctitatem non solum apud Deum, sed etiam apud improbos & hæreticos suspici, & in honore haberi, erant enim isti legati ex Phariseis, vt paulò inferius dicitur, qui erant inter Iudeos quasi hæretici.

*Et confessus est, quia non sum ego Christus nec Elias nec Propheta. Ego sum vox clamantis in deserto. Dirigite viam Domini, sicut dixit Isaias.* Considera summam humilitatē Iohannis: nam cum potuisset si voluisset reputari Christus noluit tamen id fieri, imò noluit haberi Elias & Propheta, cum verè posset, nam Christus Matt. ii. vocauit eum Eliam. & Ioan. i. plus quam Prophetam, vt discas humilis esse, nec de iis quæ verè habes, vt nobilitate generis, doctrina & sanctitate, te iactare, sed hæc omnia celsare, quamdiu sine mendacio fieri potest, Secundò: considera eum importunitate missorum coactum, indicare, licet

I a valde



valde obscure, se esse eum, de quo locus  
 esset Isaias. Sed quantus erat ille? Vox,  
 quit, clamantis in deserto, noua humilitas.  
 Quid enim uanius uel fragilius uoce, qui  
 statim maximè in deserto loco prolata,  
 uanescit? Verè autem erat uox, quia non  
 corporis habitu, totaq; uitæ conuerfatione  
 ne nihil aliud quam clamabat, & inuocabat  
 homines ad pœnitentiam, & dirigebat  
 uiam ad Christum. Hinc discimus non  
 tantum, sed uitæ piæ exemplo etiam prædicari  
 ueritatem,

3. *Quid ergo baptizatus, instant illi, si non  
 Christus nec Propheta; Respondet. Ego baptizatus  
 in aqua, medius autem uestrum scitis  
 quem uos nescitis, cuius ego non sum dignus  
 corrigiam calceamentorum soluere. Confide-  
 ra S. Ioannem perstare in humilitate, scilicet  
 dum illud Eccles. 3. quanto magnus es, humili-  
 a te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.*

*Ep. 56. Sciens inter uirtutes, ut alicubi Augustinus  
 docet illam esse primam, mediam, & uirtu-  
 mam, ac ideo maximè imitandam. 2. con-  
 sidera, sicut Ioannes humili responsione  
 infidiosas istorum quæstiones euasit, & Chri-*

*At. a. sti gloriam defendit, sic sola humilitate  
 in uita queos omnes demonis te posse euadere  
 eius. ut docuit S. Antonius. 3. etiam si non cog-*



temus vel nesciamus, tamen in medio nostru stare Iesum obleruantē quid agamus.

IN FESTO NATIVITATIS. CHRISTI:

De Christi Natiuitate. Luc. 2.

**B** MARIA cum Ioseph sponso suo è Nazareth proficiscitur Bethlehem. (descendit autem & Ioseph à Galilaa in Bethlehem, ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore pregnante.) Considera vtriusque obedientiam & humilitatem. Maria enim existens mater regis regum, non dedignatur cum tanto periculo (sciebat enim se proximam partui) obedire regi terreno & genrili, deinde patientiam in ferendis itineris longi laboribus, & quam pia inter se misceant colloquia. 2. considera eos in Bethlehem id est, domum panis ex Galilaa, id est, volubilitate profectos, ut inscriberentur in catalogum familie David: ut discas tibi desertis transitoriis & volubilibus huius mundi deliciis saepe ad eundam mensam panis viui, qui descendit de celo, quo nomen tuum inscribatur catalogo Sanctorum in celo.

Factum est autem, cum essent ibi, impleti 2.

I 3 sunt



137 MEDITATIONES IN

*Sunt dies ut pareret, & non erat ei locus in uersorio.* Considera quomodo B. Ioseph cum sub vesperam Betlehem intrasset, obeat domos, ut locum quietis inueniret, quanto angore percellatur, dum non inuenit, cum ab omnibus repellitur. Vide B. Virginem per cæcas tenebras errantem partim, partim præ defatigatione in fano aliquo sedentem & dolenter expectantem, quis forte misereatur. 2. considera quomodo post plateas omnes angulosq; decursus cogantur in semirutum stabulum. vel speluncam obscuram, in qua noctu à pauperibus locari solent bestia, diuertere. 3. contempe, B. Virginem simulatq; stabulum intravit, mox aduertisse hunc esse paradysum secundo Adam præparatum, hoc regium esse palatium Christo nascituro erectum, hic esse thronum regium, ex quo verus Salomon veram sapientiam in humilitate & inopie fundatam docere debuit.

3. *Et peperit filium suum primogenitum, & pannis eum inuoluit, & reclinavit in præsepulo.* Considera, B. Virginem cum magna parte noctis orationibus & sanctis suspiriis consumpsisset, tandem stupore sapientia Dei & gaudio incredibili abrepta ex purissimis uteris visceribus, sine villo dolore, saluis virginibus



ratis claustris infatulum Iesum genuisse. 2. considera conspecto infantulo, quanta lux mox oborta sit in stabulo quam suavis angelorum concentus auditus, quanta lartitia secuta B. Virg & Ioseph quemodo certatim in oscula puelluli irruerint; quã suauibus vicissim ocellulis puer eos aspexerit. Quam promptè B. Virgo materna officia mox exhibuerit panniculis pauperulis eũ inuoluendo pectori astringèdo, purissimo lacte nutriendo. 3. Considera, non in puluino molli non in cunis, sed in vili duro & frigido præsepi infantè collocatũ: Hæc q̃; omnia non alia de causa à Deo facta, quã vt confunderet sapientiã huius seculi, doceret q̃; non esse vera bona quæ mūdus admiratur sed paupertatis amorè perpeffionè afflictionũ & omniũ rerũ despiciẽtiam.

II, PARS MEDITAT.

De Pastoribus. *ibid.*

**P**astoribus reuelatur Christi natuitas per angelum. (Euangeiũ *Et vobis gaudium magnum, quia natus est vobis hodie Saluator*) & cæt. Considera, angelum Domini accepta licentia à puerulo Iesu, non ad reges vel sapientes, sed ad simplices & vigilantes super gregem, pastores mitti, qui



- Prou. 3.** qui sua humilitate & vigilantia id meruerunt: *Cum simplicibus enim, ait Sapiens, sermocinatio eius.* Et. *Qui mane vigilauerit ad me, inueniet me.* 2. Considera, Christum summum pastorem prius sua luce illustrare superiores & pastores aliorum, quam subditos, vt subditi libentius sinant se eorum nutu dirigi, maximé noctu, id est, in maioribus fidei & morum difficultatibus.
- Esai. 9.** 3. perpende quod dicit, *Natus est vobis Saluator, puer enim natus est nobis, ait Isaias & filius datus est nobis.* Quo dono quod potest esse præstantius?

2. *Et hoc vobis signum, inuenietis infantem panis inuolutum & positum in præsepio.* Considera quod signum angelus det, vt Christus inueniatur in corde nostro, nimirum vt sicuti infantes, simus expertes peccati & doli. 2 si necessariò tantum amictu & victu cõtenti simus, 3 si duritiem lecti, & alias austeritates non refugiamus. 2. Considera quanto gaudio pastores perfusi fuerint hoc nuncio, quam cito desertis ouibus in Bethlehem se contulerint, quam humiliter Christum natum adorarint, quam pie manus pedesq; ejus osculati, quæ munuscula pastoritia obtulerint, quantum puerulus simplicium hominum consuetudine quo



quo potuit modo illis arridens, oblectatus fuerit. O felices pastores, quibus fas fuit videre, quod tot Reges & Prophetæ optarunt videre, & non viderunt.

*Et subito facta est cum angelo multitudo militum caelestium laudantium Deum, & dicentium. Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonae voluntatis.* Considera, quid gloriosius esse potuerit, quam in loco tam vili & abjecto triumphum agere caelites, & aurem suavissimo concentu complere. Sed si expendas, quantæ dignitatis persona sit infantulus iste pauperculus, nempe filius altissimi, facile intelliges cum dignum omni veneratione & gloria: si verò cogites causam huius abjectionis, nempe peccata nostra, non miraberis hanc humiliationem. Per hanc enim, & aliam longe maiorem secutam, usque ad mortem crucis, reconciliati sumus Deo, & pax æterna donata omnibus hominibus bonæ voluntatis, hoc est, qui voluntatem suam parati sunt conformare divinæ, ejusque præceptis obedire, 2. Considera, quanto cum gaudio angeli reuerterint in cælum, totamque Hierusalem caelestem nouo nuncio exhilararint: ac denique quomodo anima B. Virginis his omnibus notatis & auditis tantum non lætitia liquefacta fuerit.



138 MEDITATIONES IN  
DOMINICA INTRA OCTA-  
VAM NATIVITATIS.

*Erant Ioseph & Maria mirantes, Luc. 2.*

1. **E**RANT Ioseph & Maria mater Iesu mirantes super his qua dicebatur de illo. Considera miraros fuisse parētes tam miracula & facta circa puerum, cum in pueronihil viderent singulare, quod non omnibus infantibus commune esset; ad te docendum quod etsi corporeis oculis nihil videas eorum quæ credis esse tamen fidem adhibendam Ecclesiæ, hoc est, tot S. Patribus testificantibus, quid sit credendum. 2. considera, mores Christi infantis, & ad eos tuos quoque compone, quia infans factus, non fuisset nisi aliquid in eius infantia imitacione dignum foret. Et dictum Christi est.

*Matth. 23.* Nisi efficiamini sicut parvuli non intrabitis in regnum caelorum. Et B. Petri. *1. Pet. 2.* Quasi modogeniti infantes lac concupiscite.

2. Simeon dixit ad Mariam. Ecce positus est hic in ruinam, & resurrectionem multorum, & in signum cui contradicetur, & tuam animam transibit gladius. Considera, Simeonem hic inter summa gaudia varicinari de afflictionibus futuris tum Christo, tum matri, ut intelligamus in hoc mundo non esse

pura-



ES IN  
OCTA.  
IS.

tes, Luc.  
ter Iesu  
e illo. Con  
m mira di  
n puero ni  
n omnibu  
e docendi  
videas eo  
m adhibe  
ibus testi  
e. confide  
i eos tuos  
ctus, non  
a imitati  
Christi est.  
trabitur in  
si modoge  
positus est  
ultorum,  
nam ani  
Simeo  
cinari do  
tū ma  
non esse  
pura:

DOMIN. TOTIVS ANNI 139

pura gaudia, sed multas tribulationes ex  
pectandas, si velim. esse veri discipuli Chri  
sti, 2. hoc nuncio & excitatam fuisse B Vir  
ginem ad multa cum filio suo perferenda  
& participem gloriæ illius factâ. quæ erat  
pati & mori ex obedientia Patris. Tam no  
biles enim sunt afflictiones pro Christo to  
lerata, vt Christus, sicut eam maximè dile  
xit, ita etiam voluerit eam præ omnibus  
hominibus affligi, ac gladium crucis trās  
ire animam eius. Vnde & martyr martyri  
à sanctis vocatur.

*Puer autem crescebat, & confortabatur,  
& plenus sapientia. & gratia Dei erat cum illo.*  
Considera, in puero Iesu quatuor hic lau  
dari primò, quod plenus esset sapientia re  
rum omnium diuinarum & humanarum,  
& ideo Doctore non egebat. 2. quod ple  
nus esset gratia apud Deum & homines,  
quippe ab omni macula peccati immunis,  
& omnibus virtutibus donisq; cœlestibus  
ornatus 3. quod quotidie cresceret vt cor  
pore ita variis sapientiæ effectibus prodē  
dis. 4. quod maiores semper vires spirituales  
accipere videretur. Vt discas & tu quotidie  
in his virtutibus progressum facere, quia  
in virtute non progredi est regredi, & de  
ficere.

MEDL